

1690.
22
11

PETRI MÜLLERI, ICTI,
CONSIL. SAXON. PANDECTARVM PROF. PVBL. ORD.
CVRIA PROVINCIALIS, FACVLT. IVRID. ET SCA-
BINATVS ASSESSORIS IN ACADEMIA IENENSI,

LIBELLVS
DE
LITERIS
REVERSALIBVS

VULGO:

Von Reversen.



IENAE,
LITT. AC IMPENSIS IO. CHRIST. CROEKERI,
1741.

PATRII MATER PATER
GODUS SATORIUS MATER PATER
DEUS

TRINITAS

REVERENDA TRINITAS

ALMA MATER PATRII



P R A E F A T I O.

Si quidquam peregregii nobis reliquit Eloquentissimus Romano-rum, certe illa monita sunt, de beneficiis in alios homines con-ferendis. Quorum duplcam facit rationem: Aut enim opera benigne fit indigentibus, aut pecunia. Facilior est haec posterior, illa lautior multo ac splendidior, et quanquam in utroque inest gratificandi liberalis facultas, tamen qui opera, id est, virtute et industria, benefic et liberales sunt, illi quo pluribus profuerint, eo plures ad benigne faciendum adiutores habebunt, atque consuetudine be-nificentiae paratores erunt, et tanquam ex-ercitatores ad bene de multis merendum. Quemadmodum autem ingenuis hominibus

A 2 maxime

maxime conuenit liberales esse, aliisque libenter gratificari; ita vitio verti ipsis non potest, quando sibi prospiciunt, vt sine damno sint. Quid enim stultius est, inquit CICERO, quam quod libenter facias, curare, vt id diutius facere non possis. Optandum equidem esset, in ciuili degentes societate, adeo conformem agere vitam, vt neuter alterius timere habeat damno, conditione potius quam ipsem et naectus, contentus esse possit. Sed euentus intentioni huic ciuili vel nunquam, vel rarissime ex voto constabit. Praeterquam enim, quod lapsu Protoplastorum humana conditio in eum detrusa statum, in quo perpetuo desudare, et omnia improbissimo acquirere oporteat labore. Quocirca fit vt valde proni sint homines, ad Ius sibi aliquod circa aliena, ex quo quis actu semel atque iterum ex gratia permisso, fingendum. Et quoniam alias mali plerumque mortalium mores, optima aliis sibi consulendi prodidere remedia, quae necessitate inita, consensu perfecta, et denique consuetudine inualesce firmata; Ita et hic vis aliqua ciuilis restrictiua fuit inuenta, quae est vt maioris securitatis, imo memoriae gratia documenta literaria confiantur, quae LITERAE REVERSALES appellantur.
Quarum

Quarum cum in Curiis et extra eas admodum frequens sit usus, praesertim vero in variis circa statum publicum occurrentibus causarum figuris. Inde, quia iamiam specimen quoddam academicum conscribere atque in publicum dare animus fert, magna cum cura et taedio interpretum volumina voluere coepi, donec de istis aliquid saltem apud ipsos repererim, quaeque sparsim sunt tradita in genere conquisiui, inque sequentes hasce pagellas retuli. Praecupauit quidem diligentiam meam paucis tamen capitibus **AHASVERVS FRITSCHIVS**, **ICtus** et **Cancellar.** Schwartzburgicus, non tantum non ab inchoato opere depulit, quin potius ad istas vberius pertractandas stimulum addidit. Et sane contextus praesentis qualiscunque mei laboris demonstrabit, istius vitulo, quod aiunt, nullum penitus me duxisse fulcus. Veniam igitur peto, quam a beneuolo quoque lectore, ac Censore gratioſo me impetraturum confido; Quemadmodum et si quae minus vera sint prolata, vt me pro Candore suo quilibet aliter edoceat, obnixe contendeo. Tu vero **DEVS Ter** optime, ter Maxime, sicuti actionum omnium nostrarum principium; ita medium esto ac Finis.


CAPVT.

CAPVT I.
DE
LITERIS REVERSALIBVS
IN GENERE ET EARVM ORIGINE.

S V M M A R I A.

- I. Verborum neglectus incertitudines parit.
- II. Unde literae dicantur. Quam varie accipiuntur,
- III. Synonymon.
- IV. Varietas literarum.
- V. Vnde Reuersus et Reuersales dicantur. Vox barbara videtur.
- VI. Quaenam Origo reuersalium literarum presumtive sit.
- VII. In causis publicis. Qualis potestas fuerit olim Principum Germaniae.
- IIX. Ditiones hereditariae non fuerunt.
- IX. Postmodum ad heredes transiere.
- X. Primis temporibus maior hominum fides fuit, nec tam rigorose scriptura exigebatur.
- XI. Quid sint Reuersus.

§. I.



tractaturus igitur de Literis Reuersalibus, e re esse duxi, prius quam ad realium tractationem perveniam, paucissimis in earum primos natales inquirere; non quia obscura plane haec verba essent, cum cuius maxime sint obuiia, sed quoniam voces, quarum ministerio utimur ad res exprimendas, raro in nativa sua significatione acquiescant, et ad varias res transferantur, et eorum neglectus incertitudines patiat et obscuritates, quae velut nubes expansae intelligendi

DE LITERIS REVERSALIBVS.

7

ligendi vim animo auferunt *Nov. Leon.* 42. pr. Idcirco ICTos, qui magnam semper in explicandis terminorum originibus diligentiam adhibuerunt *arg. l. i. ff. de Iust. et Iur. l. i. ff. de R. Cred. l. i. ff. de pact. l. i. §. i. de tutel. pr. Inst. de testam. ordin. l. 236. de V. S. conf. REB-HAN. in Epist. dedic. Hodog. praefixa et GILKEN. ad rubr. C. de fid. instrum. imitamur. Et certe deriuationi vocum magnam inesse vim, ita ut argumentari interdum ab ea liceat, ostendit NIC. EVERHARD A MIDDELBURGO in loc. *arg. legal. l. 3. num. 1. WISSENE. ad tit. ff. de V. S. disp. 1. pr.**

§. II. Literarum originem prius indagare lubet. Litera autem illa quae a litura dicitur, et elementum seu minimas vocis partes significat et a notis separatur *l. i. §. iud. ff. de var. & extr. l. 40. milit. de testam. ff.* Notae enim literae non sunt *l. 6. §. vlt. ff. de bon. possess. huius loci non est, sed pluralis numerus literae, Epistolam significantes;* Inde Eloquentissimus Romanorum literas reddere, et literas consignare aliaque similia passim adhibet. Reperitur tamen aliquando litera in singulari pro Epistola apud Poetas Ouid. praecipue in Epistolis. Varie autem sumitur vocabulum literae; interdum pro Epistola vti iam diximus, cuius proprium est, ut is ad quem illa scribitur de his rebus quas ignorat certior fiat. REBVFF. de Sebed. recogn. num 18. deinde pro cautione sive syngrapha, unde tit. *Inst. de literarum obligationibus add. VINN. ad d. tit.* denique pro disciplinis humanioribus, inde dicuntur literati, literis docti, exculti. Nostro autem scopo propior est acceptio, quando pro instrumentis, documentis, monumentisque accipiuntur, ut notat in l. si procurat. ff. de procurat. SPIEG.

et

et pro pactis Verschreibung in *l. qui mutuam 56. ff. mandati.*

§. III. Inde generali documentorum literiorum appellatione quae vulgo Briefliche Urkunden vocantur, etiam veniunt literae nostrae reuersales, vocabulum autem documentorum occurrit in *l. vlt. [C. de probat. Nov. 44. pr.]* Hinc Constitutiones von Brieflichen Urkunden loquentes h. e. de documentis literariis, de quibusunque literis aut scripturis intelligentias esse manifestum est, non tantum de publicis et authenticis, PETRVS REBVFF. in Conſt. Reg. Gall. tit. de lit. oblig. num. 4. sed et priuatis, Romanens. Conſil. 23. n. 2. I AFREDVS decif. 37. Imo Instrumentorum vox illis synonyma est, quae etiam apud AZON in summ. de fid. Inſtrum. vulgo vox mortua dicitur, nec originem trahit ex ciuili iure, sed diuino iam instrumenta sive literae sigillis testibus et subscriptione roborate inueniuntur. Ierem. c. 23. v. 10. add. SPECVLATOR. ad tit. de Inſtrum. edit. §. 1.

§. IV. Hae autem literae quando contra ipsum scribentem producuntur, plena ipsis fides habetur. *l. publica 26. ff. depositi c. 2. X. de testib. ibique Dd. commun. quarum praeter Reuersales nostras variae sunt species, aliae enim sunt commendatitiae, quae regulariter nihil probant l. fin. C. quod cum eo qui in alien. potest. l. eleganter. 7. §. fin. de dolo MASCARD. concl. 626. n. vlt. REBVFF. de Sched. recognit. n. 99. add. Dd. adducti a Rota Genuensi Decis. 70. n. 2. nisi praeter commendationem commendator specialiter ad quid se obliget, vt in l. 6. C. de fid. Inſtrum. EKOLT. ad tit. de fid. Inſtrum. §. vlt. REBVFF. n. 100. Aliac credentiales et a Regibus, Principibus ac Magnis viris legatis dari conſue-*

DE LITERIS REVERSALIBVS.

9

sueuerunt, vt de persona, cum qua agendum rite constet, de quibus late RVTGER. RVLAND. de Commissar. l. 5. c. 14. §. 17. seqq. Porro dantur testimoniales literae, quae de consuetudine probant. INNOCENT. in c. de fid. Instrum. Porro literae mutui compassus, quae emittuntur ad Magistratum loci, sub quo testes domicilium habent, in quos Iudex non habet Iurisdictionem, vt vel ipse testem audiat, vel ad comparendum coram cause Commissario testimon. daturum cogat. VVLTEI. ad Inſtit. de act. in princ. n. 81. Denique literae cambiales reperiuntur, de quibus integer tr. JOHANN MARTIN. VOGT de Cambiis tb. 2. p. 10. et cautelas circa ea congesſit STRYKIVS tr. de Cautel. ſect. 3. c. 5. §. 8. seqq. Plures literarum species addere possem, ait ne actum agere vi-dear, addi potest Sylloge literarum variarum FRIDERICI GEISLERI.

§. V. Sequitur nunc enodanda vox Reuersus vel Reuersales quae, si vlla deriuatio admittenda, deducenda effet a voce reuertere, qua actiua vel neutrali Cic. saepe vtitur, sed in praeteritis tantum, et reuerti deponitaliter. Ait in nostro significatu inde deduci non potest, sed latino-barbara est, sicut multa eiusmodi vocabula, v. g. Adoha ſive Hostenditiae, imo plurima alia barbaro ſeculo, aut declinante ſaltem latinitate in lucem ſunt progenita, nec apud veteres ICtos, a quibus Digesta, digesta et compilata ſunt, leguntur, quoniam tamen a Dd. inuenta, et communi eorum calculo approbata, ita vt in variis caſarum figuris frequentiffime occur-rant; ideo merito quoque retinemus, non quod ea ciuitate Romana donemus, hoc enim nec ipſos Imperatores

B

peratores

peratores potuisse apud SVET. in Lib. de Clar. Grammat. c. 22. refert MARCELLVS, monente WISSENB. p. 2. ff. Disp. 25. §. 22. Insigniuntur a quibusdam etiam Antapochae ROSENTH. c. 8. d. feud. concl. 33. num. 3. it. Antigrapha, seu Recognitiones, Germ. Gegenschein, Gegen-Bekändniß, Gegenbrief. add. RYDING. Cent. 4. obs. 33.

§. VI. Quoniam vero origo cuiusque rei potissima pars est, et cuiusuis negotii basis ac directrix, iuxta l. 1. et 2. de O. Iur. l. 69. ff. de fideiussor. SVRD. de Aliament. tit. 7. qu. 34. ALEXAND. RAVDENS. Resp. l. n. 17. vol. 1. Ideo nefas esse censeo, origine non repetita, materiam aggredi, iuxta Gloss. in l. 2. ff. de R. Cred. MARTIN. MAGER. de Aduocat. armat. c. 5. num. 1. et 2. Perfecta enim rerum praecipue obscurarum cognitio vix haberi potest, initii eiusdem non perceptis; ac ex ignorantia originis saepe fit, vt falsa pro veris interpretatione nobis obtrudantur. add. ANTON. FREVDENB. tr. de Rescript. Morator. concl. l. n. 2. et concl. 52. n. 46. Contingit autem in hac materia, quod plerumque in aliis accidere solet, quorum initium facile ignoratur per text. in l. 28. ff. de probat. REINKING. de Reg. Sec. et Eccl. L. 1. d. 3. c. 13. num. u. Et quod ICtus de alluione in l. 7. §. 1. de A. R. D. tradidit, quod sit incrementum latens, cum quid ita paulatim praedio nostro adiicitur motu fluminis, vt intelligere non possumus, quantum quoquo temporis momento adiiciatur, de quo IASON. L. 4. Consil. 120. ita reuera de ortu et progressu Literarum Reuersalium, in primis circa statum publicum versantium, dici potest. Ex diffidentia hominum ita creuerunt illae, vt hodie nihil frequentius in foro occurrat, quam cautio sub literis hisce Reuersalibus.

§. VII.

§. VII. Circa originem igitur Reuersalium in causis publicis occurrentium, sequentes sunt nostrae conjecturae. Quandoquidem hoc omnibus Iur. Publ. Cultoribus notum esse potest, harum usum tempore Romanorum, vel etiam Iustinianaeo, imo longe postea adhuc nullum fuisse, siquidem Magistratum Romanorum longe diuersa erat conditio, quam Principum nostrorum; Potestas siquidem illorum erat tantum personalis et temporaria, et dependebant actus eorum omnes, vel a Populo, vel a Senatu, vel a Principe. Nostrorum autem Principum potestas est perpetua, irreuocabilis et in heredes transitoria. Illorum imperium merum, mixtum et notio nuda, omnia quidem radicata erant in Maiestate, interim ab eadem tanquam distincta membra, Magistratis concedebantur, nonnunquam singulariter, nonnunquam per modum concurrentiae. Ratio est apud ZIEGL. ad Grot. p. 13. ad verb. *nisi vires ministras*. Quae omnia secus se habent in hodiernis Principibus nostris, qui haec vi superioritatis Territorialis proprio iure i. e. patrimonialiter possident. Idcirco quoniam illis temporibus nihil proprii ratione territorii possidebant, neque iurisdictionem patrimoniale habebant, non opus fuisse, ut sibimet inuicem, ratione suscipiendi Imperii, ratione itidem Iurisdictionis turbatae, imo ratione aliorum regalium, vigore Superioritatis Principibus nostris competentium, et in quibus hodie Reuersales obtinent, caueri finant.

§. IIX. Neque etiam propioribus seculis, sub Carolingis videlicet et sequentibus aliquot Imperatoribus in usu fuisse easdem auguror. Siquidem et

eo tempore constituti Duces, Marchiones, Comites et alii titulati status, nondum ita liberi, minus vero perpetui et hereditarii; Sed officiorum tantum nomina, Praefecturae personales ac Dignitates temporales, ex mero arbitrio Imperatoris dependentes, et ad nutum remouibiles fuere, quod late ostendit MYLERVS AB EHRENBACH. *in Archolog. Ordin. Imper. c. 7. §. 2.* Hi vero Duces, Marchiones et Comites, cum Imperatori fidem suam diligent ac sollicita administratione ostendissent, ac apud eum bene meriti fuissent, Prouinciam aut Comitatum ipsis commissum sibi in feudum obtinebant, saluo tamen iure, ne ad heredes transiret. REINKING. *de Reg. Sec. et Eccl. L. 1. cl. 4. c. 16. num. 23.* donec tandem facilitate Imperatorum, Carolinae praesertim lineae, hinc inde primores intumescerent; adeo ut saltem ante Conradi I. tempora quinque magni Ducatus extiterint, Bauaricus, Saxonius, Suevius, Franconius; Lotharingicus: quos quidem liberae et hereditariae protestati intentos comprimere non potuit Conradus; quin potius amore Patriae ductus, Henricum (Ottonis filium) Saxonem sibi valde refractarium, et libero Principatu vtentem Regem creari voluit. Hinc deinde plures alii ad se pertrahere cooperunt Iura maioris potestatis, et cum antea Duces, Marchiones et Comites item Palatini administratorio nomine erant, producta ad filios potestate, tum ad agnatos, et largitionibus Caesarum, quin et minorum statuum usurpationibus subsecutis, in eam excreuerunt magnitudinem, omniaque hereditario nomine vel patrimonialiter possidere cooperunt. vid. laud. MYLER. *cit. loc. c. 10. LYNCKER. Dissert. de superiorit. Territor. p. 9.* §. IX.

§. IX. Praemissis hisce, originem Reuersalium nostrarum in haec potius et sequentia tempora, quam alia reicere lubet, factis enim Dignitatibus nostrorum Principum hereditariis, cooperunt Regalia et Iurisdictiones patrimoniales fieri, in quibus materiis maximus Reuersalium usus *infr. c. 3.* ostendendus erit. Antea enim omnia Regalia exercebant nomine Imperatoris, nec cautione circa turbationem aliquius actus opus erat speciali, cum vniuersum territorium vnius Imperatoris potestati erat subiectum.

§. X. Reponat autem quis adductis meis argumentis, usum harum literarum non solum versari circa materiam Iurisdictionis, sed praecipue etiam locum habere in multis aliis gratiosis concessionibus, quae tamen sine dubio ante illa tempora etiam factae sint; Cui reponere vellem, me equidem lubentissime concedere, in multis aliis praeter Iurisdictionem casibus obtinere posse, interim tamen vel omnes illi ita se habebunt, ut ad Regale quoddam Principis referri possint, vel certe ita erunt comparati, ut presupponant aliquam Principis circa res disponendi potestatem proprio nomine competentem, et si cetera omnia desunt, non memini ultra illa, quae designauit tempora originis loco, vlibi reperiri usum huius vocabuli, ne dicam literarum copiam, cum tamen variae fatis antiquae extent, quae omnes tamen illis temporibus recentiores. Deinde etiam pristinis temporibus, quibus maior hominum fides, non adeo rigorose hasce scripturas exigebant, sed publicis declarationibus contenti erant.

§. XI. Absolutis, quae circa originem Reuersalium videbantur necessaria, antequam ad personarum

B 3

quae

quae dare et accipere possunt, declarationem descendam, aliquam literarum Reuersalium definitionem siue descriptionem praemittam; cum teste c i c. L. I. de offic. omnis quae a ratione suscipitur de aliqua re tractatio, debeat a definitione profici sci. Esta autem nobis Reuersus scriptura seu Instrumentum solenne, quo quis erga alterum suam declarat voluntatem, simulque ad faciendum id quod ipsi iniungitur, vel ad non faciendum id quod prohibetur, se obligat. Solenniori formula hic protestor, rem mihi non esse cum rigidioribus istis Dialecticis, Limam siquidem et amissim exquisitam Logicorum quaevis non patitur materia, et Legistae non dialectitant in verbis, sed rerum ipsarum momenta ponderant. CAGNOL. ad l. I. §. 1. ff. Si quis Ius dic. non obtemperavit. Sufficiat igitur ex mente ICtorum rem ita descripsisse, vt dilucide omnia ponantur, et tota rei substantia paucis manifestetur. add. alia descriptio apud WEHNER. Pract. Observ. voce Reuers.

CAPVT II.

DE

PERSONIS LITERAS REVERSALES
DANTIBVS ET ACCIPIENTIBVS.

S V M M A R I A.

- | | |
|--|--|
| I. Imperator et Rex Romanorum pro rerum exigentia literas Reversales dant. | VI. Ob defectum rationis eiusmodi literas dare nequeunt. |
| II. Status Imperii, quo referuntur Ciuitates Imperiales, imo Municipales dare possunt, et Nobilitas Imperii immediata. | VII. Mente capti. |
| III. IV. Qui non possint, | IX. Prodigus. |
| V. Quid de minoribus dicendum? | X. Possunt dare Tutores illustrium Personarum. |
| | XI. Quinam literas Reversales accipere possint. |

§. I.

§. I.

Visa Reuersalium onomatologia et origine, Personae dantes accipientesque veniunt considerandae. Parum enim est Ius nosse, si personae quarum causa constitutum est, ignorentur. §. 12. *Inst. de Iur. N. G. et Ciu.* Vnanimi igitur ICtorum consensu constat, omnem eum qui facultate disponendi, et conuentionem ineundi de rebus suis non destituitur, posse per literas Reuersales disponere de suo, quomodocunque faltem placuerit. Nullum igitur dubium est, quin Imperator Sacratissimus ex summitate Maiestatis suae possit literas Reuersales, in variis causarum figuris occurrentes tradere, iisdemque se obligare, quibus autem id fiat modis *seq. c. 3.* ostendemus. De Rege Romanorum quaeritur, an ille etiam semet literis Reuersalibus obligare possit? Et respondetur quod sic, modo in iis disponat negotiis, quae propriam spectant administrationem, non autem homine Imperii; est enim Rex Romanorum in subsidium Caesareae Maiestatis electus, ut in casu, quo ea deficiat, vel peregre absit, de negotiis Imperii, praesupposito tamen semper ratihabitionis solenniori actu, disponere possit.

§. II. Porro Statibus Imperii, secundum tria Collegia vi Jurisdictionis Patrimonialis, et secundum axioma fere vbiique receptum: quod tantum possint in suo territorio quantum Imperator in Imperio. *De quo vid. THOMAE ad Lampad. qu. 178.* exceptis tamen reservatis Imperatoris. *Ibid.* competit Ius dandi literas Reservales non Solum statibus suis Prouincialibus, sed et subditis, modo nihil in praeiudicium Maiest. Caesa-

Caesareae et totius Romani Imperii suscipient. Nec est quod dubites de Cittatibus Imperialibus; hae enim, quamvis personali dignitate non tantum sime mon. de Iurisdictione territor. c. 4. §. 9. pari tamen cum reliquis statibus Iure vtuntur, et habent, (quod tamen diu ipsis denegatum,) per Pacif. Osnabrug. art. 8. vers. tam in universal. add. THOMAE qu. 185. votum Decisum. conf. SIM. cit. Dissert. c. 4. §. 10. Deinde et Cittates Municipales possunt literas eiusmodi Reuersales dare, praesertim vero circa illas res, quarum dispositio ipsi vi Iurisdictionis a Principe aut per modum conuentionis aut praescriptionis concessae, competit, et tunc non possunt dici ut Iure Regalium, sed saltem Iurisdictionis. Quemadmodum et Nobilitas Imperii Immediata, quicquid facit, id omne vi Iurisdictionis, non vero Iure Regalium, et reperimus multa exempla literarum a Nobilitate Imperii immediata datarum.

§. III. Diximus autem th. i. omnes facultatem consentendi habentes literas Reuersales dare posse. arg. l. i. §. 1. et 3. ff. de pactis. STRAVCH. Exerc. Iustinian. 12. th. 7. Quae cum ab vsu Intellectus siue rationis ac voluntatis dependeat, ut loquitur STRVV. S. I. C. Ex. 6. th. 36. quibus iung. GROT. de I. B. et P. L. 3. c. 1. §. 8. et L. 2. c. II. et 12. PVFFEND. de I. N. et G. lib. 2. c. 4. nequeunt ob eius imbecillitatem infantiae proximi. §. 9. Inst. de inutil. stipulat. l. 1. pr. ff. de minor. BACHOV. ad §. 1. Inst. de tutelis n. 2. qui infantibus comparari solent l. 1. §. 13. ff. de obl. et action. l. 3. ff. rem pupill. saluam force, sine tutoris autoritate CARPZ. p. 2. C. 15. d. 30. praesertim si conditionem suam deteriorem faciant l. 28. ff. de pactis. ECKOLT. ad ff. de pactis §. 7.

§. IV.

§. IV. Pubertati proximi, qui fere annos pubertatis attigerunt D'ONELL. *L. 12. c. 22. lit. K.* ne naturaliter quidem obligantur *l. 59. ff. de obl. et act. ita sc. vt obligatio naturalis in foro ciuili effectum non habeat quo ad personam pupilli, licet in tertii praeiudicium aliquando obligetur l. 1. §. 1. ff. de nouation. l. 127. ff. de Verb. obl. h. e. habetur pro obligato tantum, vt subsistat obligatio accessoria fideiussoris d. l. 127. vel prior tollatur, iudicatur. STR YK. in Cautel. sect. 1. c. 2. §. 17. bene tamen obligatione naturali in se tenentur, quatenus ex consensu oritur considerata, cum satis intelligent actum, adeoque datam fidem debeant seruare. ECKOLT. ad tit. ff. de autor. et conf. tutor. §. 2. Add. STR VV. S. I. C. Ex. 6. tb. 29. nisi illas dent autore tutori l. 28. pr. ff. de pactis.*

§. V. Quid de Minoribus habendum, quaeritur? Et sane cum propter quandam iudicij stabilitatem. §. vlt. Inst. qui et ex quibus caus. petitio curatorum, eorum arbitrio regular. sit commissa l. 1. §. 4. cum seqq. ff. de iis qui pet. tutor §. 2. Inst. de Curator. ibique BACHOV. non obstante l. 1. §. 3. de Minor. vid. STRAVCH. Differt. Iustin. 5. tb. 33. sine curatorum, si quos habeant, consensu, literas reuersales dare non possunt, vt efficaciter obligentur l. 3. C. de in integr. restitut. secus tamen est, si sint absque eis. STRAVCH. Diff. Iustin. 5. tbef. 34. aliam distinet. vid. ap. STR YK. de Cautel. sect. 1. c. 3. §. 21. Quanquam si per eandem laesi fuerint, restitutione in integrum iuuentur. cit. l. 3. C. d. in integr. restit. etiamsi postremo die, imo ultima etiam hora diei postremi anni 25. datae sint l. 3. §. 3. ff. de minor. BACHOV. ad pr. Inst. de Curat. ECKOLT. ad tit. de Minor. §. 2. nisi aetatis veniam a Principe impetraverint. l. 1. C. de bis qui ven. aetat. impetrav.

§. VI. Multo minus Reuersales literas dare possunt,
C ob de-

ob defectum rationis ac voluntatis naturalem Infantes, qui adhuc minores 7. annis sunt. l. 14. ff. de sponsal. 18. pr. C. de Iur. deliber. cum nullum cum iplis valide geratur negotium, ne quidem accedente tutoris autoritate §. 9. Inst. de iniur. stipul. cum huius interpositione non possit suppleri intellectus eorum, qui plane est nullus. dd. 4. ECKOLT. ad tit. ff. de. Autor. tut. §. 1. nec quenquam sibi obligant, nec vlo modo obligantur. HAHN. ad Wesenb. de pact. n. 5. ECKOLT. ad tit. de Obl. et act. §. 20. n. 1. STRUV. Ex. 6. tb. 30. Cautelas exhibit STRYK. de Cau- tel. sect. 1. c. 2. §. 3.

§. VII. Mente capti tam in specie ita dicti, qui ci- tra rabiem tranquilla quadam mentis alienatione la- borant. BACHOV. add. §. 4. inst. de Curat. n. 4. quam fu- riosi. l. 40. ff. de R. Iur. hinc datae ab iis Reuersales plane sunt nullae add. l. 1. §. 12. ff. de Obl. et act. conf. PAUL ZACCHIAS. Quaest. Med. Legal. L. 2. tit. 1. qu. 1. Furor vero praecipue colligitur ex verbis, si quis more insa- norum deridenda loquatur. l. in his qui §. 1. ff. de aedi. edict. l. 22. ff. solut. matr. vel ex scriptura. l. 22. de condit. Inst. vel ex factis. l. 3. verb. saxis C. de Iudeis. Nunquam autem furor praesumitur. arg. l. 6. ff. de curat. fur. cum quaelibet res praesumatur esse in naturali statu, qui est cum ra- tione genitum esse. MENOCH. L. 6. prae sumt. 45. n. 19. ideo alleganti incumbit probatio l. 5. Cod. de Codicill. CARPZ. L. 6. Resp. 112. n. 7. MASCARD. de Probat. concl. 827. THOMING. Consil. 40. qu. 4. n. 57. seqq. MANTICA. de Con- iect. vlt. volunt. L. 2. t. 5. n. 10. Quod si vero dilucida ha- beat intervalla furiosus, datas tempore intervalli sub- sistere. arg. l. 9. C. quite testim. fac. poss. l. 6. C. de Curat. furios. Furioso itidem comparatur extreme Ebrius. can. fane c. 15. qu. 1. hinc datae ab eo Reuersales nullae sunt, quia omnis actus ab eo gestus nullus est. STRUV. S. I. C. Ex. 6. tb. 37.

ib. 37. CARPZ. p. 1. c. 15. d. 35. VIVIVS. L. 1. D. 105. nisi remissa ebrietate ipsi in animum reuocent, et an eas seruare velit, interrogent, sic enim ex iterato consensu subsistent arg. l. 48. ff. R. I.

§. IX. Prodigus quoque ob defectum moralem voluntatis nequit literas dare, facit enim furiosum rerum suarum exitum l. 12. fin. ff. de Curat. dand. talis autem intelligendus, qui decreto Magistratus declaratus est prodigus. HILLIGER in Donell. L. 12. c. 22. lit. F. Et postea eius amplius nulla supereft voluntas. l. 40. ff. de R. Iur. Quid dicendum si iuramento confirmet? vid. STRYK. Cantel. sect. 1. c. 2. §. 15.

§. IX. Deinde literas Reversales dare nequeunt ob ademtam bonorum administrationem Banniti Imperii, qui pacem publicam violarunt, quibusque aqua et igni interdicitur, ita ut a nemine Clientelam, fidem aut amicitiam recipi, ab omnibus vero impunem tam in persona, quam rebus offendendi possint Ad hunc modum denunciati in bannum, ciues Romani esse desinunt, et communes omnium hostes efficiuntur, omniaque humanitatis iura, officiorum vicissitudines & commercia amittunt: Sie werden aus dem Frieden in den höchsten Unfrieden gesetzt. ANDR. GAIL. de Pace publ. L. 20. n. 20.

§. X. Bene tamen literas Reversales dare possunt Tutores praesertim Illustrium Personarum, habent enim generalem loco Domini bonorum administrationem, modo non in manifestum pupilli damnum vergant, alias tutor actione tutelae directa conueniri potest de resarciendo damno. vid. Dd. ad tit. ff. de administrat. tut. Sic quod Procuratorem attinet, negari non potest, literas Reversales ab eo datas esse validas, praesertim si habet speciale mandatum ad dandum,

vel ad minimum mandatum cum libera add. STRUV.
S. I. C. Exerc. 7. thes. 25. & 26. Altioris autem indaginis
quaestio est, an negotiorum gestor dare possit? Sane
cum huic regulariter non competit administratio plena-
ria, imo Ius alienandi deficiat, merito de eius datione
dubito, quod si vero Dominus rati habeat, nihil pro-
hibet, quo minus ex illo tempore valeant.

§. XI. Dictum hactenus est de personis dantibus,
sequitur nunc ut agamus de iis, quae accipere possint
eiusmodi literas; in quibus generaliter notandum,
omnes illas personas, quae ad dandum sunt habiles,
esse quoque ad accipendum, modo per illas non de-
terioreetur illorum conditio. Hoc addam de Iudeis,
an illi valide dare possint & accipere? Ratio dubitandi
esse poterit, quod in honestum fere sit cum illis agere,
qui nos perpetuo decipere & omni modo prosequi
intendunt, imo religionem nostram conviciis pro-
scindunt. Verum quia receptio Iudeorum in ter-
ritoriis Christianorum Principum non est infrequens,
imo quoniam nulla cum ipsis nobis est commercandi
facultas adempta, non video qua ratione, cautionem
literarum Reversalium tam activam quam passivam,
ipsis denegare possemus.

CAPVT III.

DE

**OBJECTO LITERARVM REVERSALIVM
ET QVIDEM CIRCA STATVM
PVBLICVM.**

S V M M A R I A.

- I. Literarum Reversalium usus in publicis negotiis frequen-
tior. Ab omnibus fere Re-
gibus ita caugtur.
- II. Item sibi de successore quan-
doque prospiciunt.
- III. Praefito homagio Reversales
literas dant Principes subditis.
- IV. Talia

- IV. Talia ex libertate Ordinum
Prouincialium diudicantur.
Causae, ob quas Reuersales
dantur sunt variae.
- V. Potissima est (1) Priuilegio-
rum et libertatis, conseruatio.
- VI. Num subdit, an domini prius
iurent, mos regionis seruan-
dus est.
- VII. (2) Autonomia & libertas
Religionis.
- VIII. Reuersales Regiae, Maie-
stati Brifte, Rudolphi II. alle-
gantur.
- IX. (3) Extraordiniarum col-
lectarum, Gabellarumque vel
Accisi impositio.
- X. Pro Principe non militat pрак-
sumptio, quod in petenda col-
lecta extraordinaria instam fo-
ueat causam.
- XI. Ad certum tempus Status
Prouinciales saepius collectas
promittunt, acceptis Reuer-
salibus.
- XII. Nobiles immediati tales
collectas persoluunt.
- XIII. An si a Maiestate Caesarea
et Statibus Imperii publice sit
indicta extraordinaria collec-
tio ad Romanam expeditio-
nem, an Princeps vel Comes,
vel Baro, cui bona libere et
quiete sunt ab Imperio con-
cessa, nullo inde reseruato pрак-
ter seruitium equestre, onus
eiusmodi sustinere debeat?
- Num Princeps a Vasallo extra-
ordinariam collationem ab
Imperatore et Imperii Statibus
publice decretam, exigere
possit?
- XIV. An dominus subditos pro
elocanda filia collectare possit?
- XV. (4) Quando inter Principes
pacta hereditaria conficiuntur,
ab Ordinibus per literas Reuer-
sales illa agnoscentur.
- XVI. (5) Aduocatia.
- XVII. Aduocatia et Protectio
nullam tribuit Iurisdictionem.
- XIX. Literae Reuersales petun-
tur a Protectore.
- XIX. Casus, quo pagus dat Re-
uersales, refertur.
- XX. et XXI. An liceat Principi,
acceptis literis Reuersalibus,
absque Procerum, Ordinum,
singulorumque Ciuium con-
fensi foedus Clientelare pa-
cisci?
- XXII. An Maiestati ad ea ob-
eunda, quae sui sunt officii,
opus sit consensu subditorum?
- XXIII. Aduocato seu protectori
non competit Ius sequelae.
- XXIV. Datis Reuersalibus Ius
aperturae et praesidii quan-
doque conceditur.
- XXV. An idem in Ganerbiis seu
condominis Castrorum pro-
cedat?
- XXVI. Pacta successoria ineun-
tes, sub literis Reuersalibus

C 3 apertu-

- aperturam in suis fortalitiis sibi inuicem repromittunt.
- XXVII.** An domino feudi in castro quod alteri in feudum concessit, Ius aperturae competit, vt illud etiam tertio conferre possit?
- XXVIII.** (6) in Ciuitates et arcas ponuntur milites sub modo datarum Reuersalium.
- XXIX.** An Dominus feudi, tempore belli pro tuitione status sui, castrum vasalli ipso inuito occupare, fortificare et praefidio munire possit?
- XXX.** (7) Venationes precariae Gnaden Jagten.
- XXXI.** Quomodo earum fiat concessio.
- XXXII.** Referuntur causae ob quas concedi soleant eiusmodi venationes.
- XXXIII.** Ut concedens de Iure suo tutus sit, dantur literae Reuersales.
- XXXIV.** Sub literis Reuersalibus venationem hanc Tutores et Administratores illustrium personarum concedunt.
- XXXV.** (8) Circa Apanagia vñus est literarum Reuersalium.
- XXXVI.** Principatum diuisio parit familie obscurationem.
- XXXVII.** Apanagiatus dat literas Reuersales, quod nihil in praeiudicium primogeniti facere velit.
- XXXIX.** Apanagia desumuntur ex domaniis. Q. An Status provinciales apanagium constitueret postgenitis obligati sint?
- XXXIX.** Ad augendum apanagium Principi saepius succurrit charitatio Ordinum subsidio datis reuersalibus.
- XL.** Formula eiusmodi Reuersalium.
- XLI.** Apanagiati quandoque Ordines Provinciales pro subsidio charitatio compellant.
- XLII.** Num Ordines, apanagiatos Principes suis sumtibus redimere teneantur.
- XLIII.** Interdum iure familiaritatis Primogenitus secundo genito cedit administracionem, tunc literis reuersalibus opus est.
- XLIV.** Si Tertio genitus fratri primogenito sub literis reuersalibus promittat se non petiturum apanagium, an eo mortuo possit tertius petere a secundo?
- XLV.** Remissiones facinorosorum vnde apud Romanos ortae.
- XLVI.** Hodie Magistratus alterius loci ad remittendum obstrictus non est.
- XLVII.** Fiant tamen remissiones datis reuersalibus.
- XLVIII.** Idem de Transportacione dicendum.
- XLIX.**

- XLIX.** Num ut liceat iure retor-
sionis aduersus eam ciuitatem,
quae antea consuetudinem ini-
quam contra retorquentem
nondum exercuit?
- L.** Iudices non solent dimittere
incarceratos, nisi Urphedam
praestiterint, vel sub iuratis
Reuersalibus de iis non vin-
dicandis cauerint.
- LI.** Officiales et Ministri datis
Reuersalibus de fidelitate secu-
ros reddere tenentur Dominos.
- LII.** Tunc demum recipiuntur
subditii ex alienis terris, si li-
teras Reuersales a priori Do-
mino exhibuerint.
- LIII.** In renunciationibus iurium
interueniunt Reuersales.
- LIV.** Principum et Comitum fi-
liae ac forores dote constituta
mediante iuramento corporali
renunciare debent hereditati.
- LV.** In quibusdam locis rece-
ptum, vt Vasallus Domino
feudi literas reuersales det.
- LVI.** Vasallus dat literas, in qui-
bus fatetur, se praedium hocce,
vt rem feudalem accepisse.
- LVII.** Simultanee inuestiti dant
sibi inuicem literas reuersales.
- LVIII.** Expectatiuam habentes
dant literas Reuersales.
- LIX.** A necessitate sequendi qui-
dam acceptis Reuersalibus exi-
muntur.
- LX.** Ne ultra quam ipsis conue-
niat ad iustificationem tenean-
tur Nobiles, accipiunt a Do-
mino Reuersales.
- LXI.** Q. An si Euangelicus in
loco Pontificio moriatur vel
occidatur, non aliter defuncti
cadaver deduci permittatur,
nisi soluto pretio, & datis li-
teris reuersalibus.
- LXII.** An liceat Magistratui illius
loci, per quem defunctus por-
tatur reuersales literas petere?
- LXIII.** In hereditatibus.
- LXIV.** In transactionibus cri-
minum.
- LXV.** In Quinquennalibus.
- LXVI.** In causis ordinandis exe-
cutiue, mediante pacto, tra-
ctandis.
- LXVII.** In hypothecis consti-
tuendis.
- LXIX.** In Precario.
- LXX.** In pacto de retrouen-
dendo vsu literarum reuersa-
lium maxime conspicitur.

§. I.

Literarum Reuersalium vsus quotidianus est, quo-
niam tamen in grauioribus ac publicis negotiis
potior ac frequentior; Ideo quae CIRCA STATVM
PVBLICVM obueniunt, prius deducam, postea et
vsum

vsum earum in priuatis negotiis demonstraturus. Placet autem initio agere de iis causis, vbi locum habere possunt, deinde nonnulla subiiciam, vbi falso a Dd. earum exactio conceditur. Principio vero Politices Cultoribus non potest non esse notum, quam varia sint regnorum genera, ita vt mox per legitimam successionem, mox per electionem illa propagentur. Constatbit etiam, quod saepius circa electionem maxime oriantur controuersiae, dum sc. Rex hereditariam praetendit successionem, ordines autem Regni liberam electionem: quemadmodum exemplum tam maxime intricatae, scriptis ac armis etiam agitatae controuersiae superest in Regno Bohemiae, vbi quaestio est, an sit regnum hereditarium, an ele&titium. Extant sane in utramque partem rationes non contempnendae apud SCHÜTZ. Coll. Iur. publ. Exercit. 7. thes. II. per tot. Ipse nihil decidit, addit tamen conciliationem Clariss. SCHARSCHMID. in Not. cit. loc. A parte vnius militat A. Bullae dispositio, ex altera parte frequentissimus literarum Reuersalium interuentus; etenim populus aegerrime patitur sibi interuerti sua iura, qualicunque etiam sub foco lactetur, mirum non fuit, quod ab omnibus fere electis Regibus cautum sit, solemnis Reuersalibus, regnum ad vniuersi populi suffragium pertinere, veluti Vratislaus I. apud Dubrauim loquitur, atque quod ipsi libera Statuum voluntate, iuxta libertates regni electi sint, et liberrimae illae electiones libertatibus Bohemiae fraudi cedere non debeant, quemadmodum verba Reuersalium Ferdinandi I. Rudolphi II. et Matthiae allegat Deductio causae Bohemicae n. 14. 15. 61. 62. et apud LONDORP. Aet. publ. Tom. I. L. 2. c. 17. 23. 24. seqq. legi possunt. Iam autem Reuersalium indoles haec est, vt, Ius quod praesuppositum

positum est, conseruent, vti ipsissima Reuersalium verba Rudolphi II. de anno 1608. in Act. publ. tom. I.
L. 2. c. 23. p. 194. habent.

§. II. Causa Reuersalium etiam ea interdum est, quando Reges sibi adhuc viui de successoribus prospexere eosque Statibus commendauere, declaratiua illa electione recipiendos, quod ipsum, quia aliquando contra regni duobus Dominis fatigandi commoda facere videbatur, dignum visum fuit solito populo, vt cautione iuuaretur, quae cautio ordinarie per literas Reuersales fieri solebat. Et negari non potest, multa huiusmodi honestatis et humanitatis gratia, etiam in aliis quam plurimis regnis recepta esse, sub cautione tamen, quae non continuo necessitatem quandam inferre possunt. conf. HERM. HERMES Fascic. Iuris publ. n. 22. n. 30.

§. III. Quemadmodum Principibus Imperium seu Regimen Prouinciae suscipientibus, ab Ordinibus Prouincialibus et subditis homagium praestandum est. vid. LYNCKER. Difser. de Relig. Objeq. tb. 16. Ita vicissim non infrequens est, vt ipsi in Comitiis Prouincialibus Reuersales literas Gegen-Bekanntiss. Land-Reuersalien dare et promissa quaedam Statibus suis facere teneantur, quibus se declarant sub initium Regiminis, quod suorum subditorum libertatem, iura et priuilegia sarta et tecta conseruatur sint. add. laudat. Difser. tb. 19.

§. IV. Quam frequens autem sit Reuersalium in German. Prouinciis usus, tantus tamen non est, vt vbique receptae sint, sed potius ex libertate Ordinum Prouincialium res est diiudicanda, an scilicet magnae in Comitiis adhuc sint autoritatis, an vero non. Vbi subditi addictius reguntur, ibi Status Prouinciales

D plane

plane non agnoscuntur. Quapropter liberior populus omnino ille censetur, qui promissione publica, Reuersalibus, aliquaque libertatis conseruandae mediis vtitur, nec hoc Principe est indignum, siquidem subditis non vt seruis, sed vt liberis est imperandum, prout ele-ganter deducit a SECKENDORFF. p. 2. c. 4. §. 1. & 2.
des Teutischen Fürsten-Staats.

§. V. Causae autem, propter quas Reuersales Ordinibus dantur, sunt variae, retinebimus tamen ordinem laudati Dn. a SECKENDORFF. cit. l. qui inter potissimas etiam numerat LIBERTATIS PRIVILEGIORVM AC IMMUNITATIS subditorum confirmationem. Quoniam autem speciali interdum pacto Status Provinciales, vbi scil. maior adhuc illorum autoritas, in nonnullis Principatibus sibi cauerunt, siue stipulata manu, siue etiam literis Reuersalibus, vt Domini priores iurent, quod velint subditorum priuilegia tueri ac confirmare, ad id faciendum omnino tenentur, siquidem per conuentioneim Dominus vel Princeps iuri suo renunciare potest. l. si quis conscribendo. C. de pact. ibique Dd. et ita Princeps obligatur vt priuatus. vid. MAVL. de Homag. tit. 1. §. 11. Confirmatio igitur homagii praestationem hic praecedat necesse est.

§. VI. Imo si speciali consuetudine in Principatu aliquo est introductum, vt Domini prius iurent, vel stipulata manu promittant, rursus confirmatio praecedere debet, quia simulatque quid fieri consuevit, non est immutandum. l. quod si nolit. §. affidue ff. de Aedil. edict. et in exactione fidelitatis non est inducenda nouitas. Speculator in tit. de feud. §. quoniam vers. & not. in ult. col. et solita in iuramentis praestandis consuetudo est seruanda. c. cum consuetud. X. de consuet. MAVL. cit. loc. §. 13. Quod si vero Dominus vel Princeps, forte

forte ab Aulico - Politicis persuasus, priuilegiorum confirmationem recusat, vel saltem differat, citra periculum et piaculum ullum, possunt subditi homagii praestationem recusare, quod liceat non seruare fidem ei, qui violat. *I.2. C. de pac̄tis. MAVL. cit. loc. §. 14.* Alii hac vice si ex parte Domini der Huldigungs-Reuers und Confirmation der Privilegiū non extradatur, confirmationem iurium a subditis vrgeri posse opinantur in forma communī, si non in forma specifica. vid. KLOCK. V. I. *Consil. 19. n. 40.* quam confirmationem Dominum denegare non posse, statuerunt ICti lenenses, monente KLOCK. *ibid.*

§. VII. Secunda causa est AVTONOMIA ET LIBERTAS RELIGIONIS. Cum enim in nostro Imperio religionis diuersitas semel sit recepta, eiusque libertas etiam publicis et pragmaticis sanctionibus, Instrumento praeprimis Pacis *art. 7.* tres Religionis pro licitis confessionibus in Imperio Rom. Germ. iudicatae. MYLER ab EHRENB. *in absolutissimo tract. de Statib. Imperii p. 2. c. 83. §. 10.* non raro propter religionis mutationem frequentissimae ortae sunt controversiae, et quidem ex eo quod Ius mutationis facta sit sequela Territorialis Iurisdictionis, ac inhaereat territorio (vt vulgo dicimus) sicuti nebula paludi. ROSA-CORB. *in prax. forens. c. 29. fin. n. REINKING. de R.S. et E. 1.3. c. 1. c. 9. n. 3.* varia praejudicia vid. ap. LEHMANN. *de Pac. Relig. L. 3. c. 18.* adeo ut Ius reformandi pro praecipuo Statuum Regali sit habitum a Landgrauio Hassiae Mauritio apud HORTLEDER. teste CRAN. *in prooem. de pac. Relig. RITTER. de Homag. concl. 180.* SECKENDORFF. *de stat. Princip. p. 2. c. 15. n. 5.* Supra dictum tamen Ius reformandi, confirmatum et declaratum fuit, iuxta statutum anno 1624. prim. Ian. qui Religionis status in aeui-

D 2 ternum

ternum firmus et immutatus esse iubetur per. *Instrum. pac. Osnabr. art. 5. §. bona. & §. quantum. 12. ibi visitata praxi. laudat. MYLER. de Stat. Imper. p. 2. c. 83. §. 2.* An vero omnium subditorum fides ac conscientia ab opinione et arbitrio vnius Principis dependere aequum sit, alii iudicent. conf. Principis cuiusdam magni Nominis verba apud FRITSCH. *Dissert. de Lit. Reversal. c. 2. §. 8.*

§. VIII. Subditi, quamvis Domini Religionem amplecti nolint, illius intuitu, a Domino territorii nullo modo vexari, inquietari aut ad illam cogi possunt, modo quiete viuant. FRIDER. l. 1. de Mandatis cap. 30. Prout Camera Imperialis mandata sine clausula de non offendendo super Pacem Religiosam decernit. IOH. FORSTER. in Process. Camer. tit. 5. LEHMANN. de Pac. Relig. L. 3. c. 26. cum tamen eiusmodi mutationes in religione saepius experiantur, iuste omnino sibi prospiciunt per priuilegia et literas Reuersales in suscipiendis Principum Regiminibus, ut ipsis autonomia Religionis farta tecta conseruetur. Quemadmodum notae sunt Reuersales Regiae, vulgo Majestat. Briefe dictae, quae olim a Rudolpho II. Imperatore eiusque Successoribus Bohemis Euangelicis concessae, quae extant apud FRITSCH. cit. *Dissert. §. 9.*

§. IX. Tertia causa duæ laudatissimi Seckendorff. est EXTRAORDINARIVM COLLECTARVM, GABELLARVM VEL ACCISII IMPOSITIO. Siquidem Principi non licet pro voluntate sua collectas extraordinarias indicere absque Statuum Prouincialium consensu. Quapropter ipsi non ita simpliciter est credendum, quando afferit, aerarium suum esse exinanitum, nec proprios suos redditus sufficere ad sustinenda onera publica, ideo se ex necessitate publica collectas petere, sapientes Viri semper iudicarunt. Nam

Nam ubique: Princeps ex sua assertione commodum aliquod sentit, ac subditi tam mediati, quam immediati, onus aliquod percipiunt, Princeps de ea necessitate subditis fidem facere debet, siquidem in causa propria nemo testimonium legitimum proferre potest, cuiuscunque dignitatis gradu praefulgeat. per c. 28. X. de testib. l. 9. §. 1. C. de testibus. etiam si Princeps fuerit. DECIVS Consil. 576. in fin. ac Consil. 606. nam nec dignitas vel existimatio, nec vitae alicuius integritas, quicquam efficere possunt, ad firmandum alicuius in propria causa testimonium. Ita fere sentit MASCARD. de probat. concl. 1227. n. 114. FARINAC. de Testibus qu. 60. MYLER. Nomolog. c. §. 11.

§. X. Imo nec pro Princeps militat praesumptio, quod collectam extraordinariam vrgente causa expectat, adeo ut populus aut Status provinciales contranientes onus probandi contrarium subire non tenentur. Et hoc per Clement. Pastorale, de re iudicat. vbi causa non praesumitur in Princeps, qui sententiam tullit parte non citata. Quo facit textus in l. 13. C. de collat. qua constituitur, quod quando aliquis non potest facere quidpiam sine iusta causa, illa ab eo probari debet, quae regula locum etiam habet in Princeps secundum DECIVM in Consil. 576. num. 10. in fin. Atque ita ex iis, qui conscientiae casus tractant, tradit MOLINA de Iustit. et Iur. T. 3. disputat. 673. LEONHARD. LESS. de Iust. et Iur. Lib. 2. c. 33. dubit. 9. n. 67. ROLAND. A VALLE V. I. Consil. 1. n. 58. Ex Ictis late CRAVETTA Consil. 135. n. 41. Add. MENOCH. l. 2. Praesumt. 10. a n. 52. usque ad fin.

§. XI. Ut autem Principes etiam voti sui compotes reddantur, plerumque Consiliarii Camerales, qui scientiam annuorum reddituum habent, asserunt

D 3 aerarium

aerarium esse exhaustum, nec praesenti necessitati aut urgentibus impensis par esse posse; Ideo fieri solet, ut status prouinciales nonnunquam ad certum tempus v.g. decennium, vicennium, sub certis conditionibus collectarum impositionem communi approbent consensu, acceptis tamen a Principe literis Reversalibus, quibus declaratur, hanc impositionem esse gratiosam, nec ultra praestitutum tempus expeditum iri in praeiudicium subditorum. add. MYLER. ab EHENB. Nomolog. c. 3. §. final.

§. XII. Sic Nobiles Imperii immediati tales collectas persoluunt: ast determinatam non habent quantitatem, sondern geben eine freiwillige Hülfe, und schütten dieselbe in die Ritter-Truhen ein. Rec. Imper. de anno 1550. §. Wer aber an unser statt ic. IOH. COPPEN. Observ. Feudal. 4. n. 32. MYNSING. Decad. 15. Resp. 1. n. 33. Nunquam tamen hanc persoluunt, nisi acceptis literis Reversalibus, docente MUNDIO de Muner. Honor. c. 2. n. 234. 333. seqq.

§. XIII. Denique nec silentii sipario duae haec inuoluendae sunt quaestiones, altera, An si a Maiestate Caesarea et Statibus Imperii publice sit indicta extraordinaria collatio ad Romanam expeditionem, an Princeps vel Comes vel Baro, cui bona libere & quiete sunt ab Imperio concessa, nullum inde reservato, praeter servitium equestre, onus eiusmodi sustinere debeat, nec ne? Affirmat multis rationibus MODESTIN. PISTOR. Consil. 4. eamque decisionem confirmat L. II. C. de SS. Eccles. l. 1. ibi: etiam si priuilegium &c. C. de induction. L. 10. R. I. August. de anno 1548. §. Wiewohl nun ic. sic seyn exempt oder nicht befreyet ic. conf. BOCCERVS de Regal. c. 3. p. 411. n. 216. Altera vero an Princeps a suo quoque rafallo extraordinariam collationem ab Imperatore & Imperii Statibus publice decretam, exigere possit, nec ne?

nec ne? Et licet ALVAROTVS id negare videatur ad d. tit. quae sint regalia n. 5. attamen a sententia affirmativa haud temere recedendum esse iudico: eo quod vasallo vsufructuario similis sit per *text. in tit. 23.* §. vel de feud. vsufructuarius autem indictionis et superindictionis onus sustinere cogitur; per l. 27. §. 3. ff. de *usufructu, et quemadmodum quis utat. l. 13. ff. de impensis in rem dotal. factis.* CVIAC. L. 7. obseru. 4. HARTM. PISTOR. L. 1. qu. 46. n. 33. proindeque et vasallus. Id quod etiam sentit MODEST. PISTOR. Consil. 4. n. 5. Hisce autem duobus casibus expeditissimum hodie est remedium, vt sibi tum Princeps tum Vasallus caueat per Reuersales literas, ne consensus in hanc collationem sibi a successoribus praeiudicio sit. add. BO CER. cit. loc. n. 217.

§. XIV. Notabilis porro hic annexenda venit quaestio, an Princeps vel Dominus subditos pro elicanda filia collectare, vel (ut loquuntur) contributione aliqua gravare possit? Hoc multi affirmant, praeter Hostiensem Speculator et alii CHASSAN. in *Consuet. Burgund. rubr. 1.* §. 4. n. 8. in fin. et in praxi seruari testatur RESTAVRVS CASTALDVVS de Imperatore quaeſt. 57. n. 7. ALEXAND. Consil. 35. n. 3. Vol. 2. et hanc esse communem Dd. doctrinam autores sunt LAVENT. KIRCHOV. Comm. Opin. Cent. 5. concl. 77. et MYNSING. Cent. 5. obseru. 21. n. 4. nonnulli et Germaniae consuetudine receptum esse tradunt. MYNSING. loc. cit. Ast verius nos putamus subditos hoc casu de iure non teneri, cum priuatam potius Domini commoditatem haec res respiciat. Nisi forte consuetudine vel pacto Domino tale Ius quaeſitum, quod et MYNSING. respondeo, scil. in multis quidem Germaniae locis obseruari, sed subditis consentientibus et volentibus, quod uniuersalem non arguit consuetudinem. Et meminit

ROSEN.

ROSENTHAL. de feud. c. 5. concl. 77. quorundam Ducum subditos aliquando quidem contribuisse, sed solum precario eiusque rei causa Principes testimonium siue Reuersales literas sub sigillo tradidisse, seque suis oculis easdem vidisse add. *Id. cit. loc. concl. 79.*

§. XV. Neque plane hic omittendum esse putamus, quod saepius inter Principes, quando pacta hereditaria, vel Instrumenta dotalia inuicem conficiuntur, ab Ordinibus per literas Reuersales illae agnoscantur, quibus cauent se in casum mortis iis non esse contrauenturos. Sic Instrumentum dotale, quo nititur domus Saxonica, quantum ad Ducatum Cliuensem, Comitatum Marcanum et Rauensteinensem, datum Ioh. Friderico Sax. Electori Sybillam Cliuensem ducenti, de anno 1526. 8. Aug. quod extat apud STRAVCHIVM Exoter. Iur. publ. 10. tb. 13. Ordines etiam Provinciales sub dato Reminiscere et Iubilate Dominicarum anno 1527. receperunt, et hoc nomine Electori Reuersalibus, quas vocant, literis cauerunt.

§. XVI. Ulterius vsus literarum Reuersalium ostendendus erit circa Aduocaciam per vniuersam fere Germaniam frequentissimam. Quemadmodum enim priuatis nonnunquam res suas vitamque defendere priuata vltione permisum, ea scil. in locum vindictae publicae succedente; Ita Princeps quoque tuendi ea, quae finibus iurisdictionis suae continentur, non solum licentiam habet, sed propter excellentius vinculum id facere vtique obligatur: non quidem speciali hoc, de quo hic acturi sumus, Protectionis iure, sed siue Maiestatis siue Superioritatis Territorialis ut Nostrates loquuntur, Iure proprio et peculiari MENOCH. Conf. 29. n. 22. id quod vernacula nostra Landes- Fürstl. Schutz und Schirm, contradistincto
demi

dem Boghenlichen Schutz und Schirm vocabulo appella-
mus. IOH. IACOB. SPEIDEL. *Notab. Iurid. Polit. Lib. L.*
n. 6. FRANCISC. PFEIL. *Vol. 2. Consil. 94. n. 45.* REIN-
KING. *de R. S. et E. L. 1. cl. 5. c. 4. n. 57.* Dicemus iam
de posteriori, quae dicitur Aduocatia, et est ius defendendi
personas et bona aliena aduersus vim iniustum
lege hominisque conuentione constitutum. MVTER
Dissert. de Aduocat. §. 2. Saepius enim fieri solet ut ob
propriarum virium imbecillitatem et dissidentiam,
quando scilicet ob maiorem vicini alterius hostis
potentiam bellaque a validioribus imminentia, aut
alii alicui maiori malo cauendo, alienam opem
de facultatibus nostris desperantes, imploramus, ad-
eoque tuendae in quemcunque casum imbecillitati
nostrae, clientelare foedus pangimus, id quod facere
his casibus eadem ratio nos docet, qua fieri Imperator
ait: ut qui scipios tueri per aetatem non possunt, alte-
rius tutela regantur. §. 6. *Inst. de Attil. tutor. l. i. de Minor.*
Et est haec protectio vinculum saltem Iuris naturalis,
ac veluti obex quidam illorum oppositus libidini, qui
inique et per vim illicitam grassantur in aliena.

§. XVII. Quamuis autem hoc Aduocatiae Ius
Aduocato nullam Iurisdictionem, imo ne micam
quidem Iurisdictionis in Clientes suos tribuat, et ideo
Clientes Schirms Verwandten, non efficiuntur subditi,
sed in protectionem recepti manent sub Iurisdictione
Magistratus ordinarii, et suo Magistratu in omnibus,
vt antea, parere debent: Schutz und Schirm gibt keine
Obrigkeit, entzieht auch dem rechten Erb-Herrn an seinen
Rechten nicht das allergeringste. GAIL. 2. Obj. 54. nec cali-
quod nanciscitur dominium. MENOCH. *Consil. 725.*
n. 30. MODEST. PISTOR. *Conf. 43. n. 20.* quia est con-
foederationis species, qua inter diuersas Republicas

E contracta,

contracta, amicitiam et mutuam fidem, non subiectio-
nem contrahи, vnanimi consensu statuunt cit. REINK.
L. 1. cl. 5. c. 4. n. 49. et 50. nouissime CARPZ. ad *L. Reg.*
c. 13. sect. 3. n. Attamen cum nihil tam rectum in vlo
genere bonorum sit, in quo abutendo non reperiatur
aliquid vitium, nihilque tam sanctum et iustum, quod
non infinita humanae prauitatis corrumpat audacia.
WILHELM. ANT. FREVDENB. de *Rescript. Morat.* con-
clus. 7. n. 5. quod experimur in Religione, qua impii
Machiauelliæ et Statistæ pro velamine iustitiae ab-
utuntur. Quid? nonne iustitia interdum cedere co-
gitur Sorori Rationi Status. Idem se exerit in Aduo-
catia nostra. Experimur enim quotidie quam peri-
culosum sit, potentioris alicuius sese submittere pro-
tectioni, cum facillime Protectores Schirm-Herren,
fieri possint Inuasores Sturm-Herren, qui non recor-
dantur; Que la trop petite consideration des biens,
que nous avons, et la trop aspre convoitise des biens,
que nous n' avons pas, va multipliant nos miseres.
Mons. de la NOVE Discours politiq. 7. fol. 209. Vnde et
ciuitatibus etaliis Statibus libertatem amantibus autor
essem, inquit PETR. FRIDERIC. MINDAN. *L. 2. de*
process. c. 14. n. 7. (quem laudat REINKING. de *R. S.*
et E. d. c. 4. n. 62.) ne sine magna et graui necessitate,
idque caute et prudenter tutelae et protectioni po-
tentioris sese subiicerent, et tutius potiusque existen-
tient, exiguum aliquod detrimentum et incommo-
dum pati gustu licet insuauiore, quam seruitutem an-
nuo emere salario et mercede, sub plausibili protectio-
nis titulo. Tutissimum itaque cuiusque Status et Ma-
gistratus patrocinium est, recte agere, Ius et iustitiam
administrare, et cum vicinis (cuiuscunque illi con-
ditionis sint) amicitiam colere, et si quae contra Ius,
privile-

priuilegia et immunitates attententur, placide et quam cito sedare et componere aequissimis de Iure et aequitate permissis et constitutis mediis vtendo add.
ORTH. de *Iure Conducend.* c. 9. pr. 349.

§. XIX. Quamuis autem haec omnia recte sese habeant, non possunt tamen quandoque defugere, quin ejusmodi auxilium implorent Principes et Status, quapropter variae a Dd. excogitatae sunt cautelae, quas omnes hic recensere instituti mei ratio non patitur. vid. MODEST. PISTOR. L. 2. *Conf. 52. n. 7. et 20.*
ROSENTH. de *fend.* c. 8. concl. 13. MYLER. ab EHRENB. de *Stat. Imper.* p. 1. c. 18. Praecipuae autem sunt, ut literae Protectoriae die Schirm-Briefe, curiose et attente, ad cuitandam sinistram interpretationem, concipientur. REGN. SIXTIN. de *Regal. Lib. 1. cap. 4. n. 86.* deinde, quod maximum est, literae Reuersales pertantur a Protectore, quibus caueat, se ultra protectionis actum nihil in praetudicium Clientis esse factum. BOD. de *Republ. L. 5. c. 6. n. 544.* Ira in Reuersalibus Clientelaribus Anno 1523. Quedlinburgi conuentis prospectum fuit, daß die Stadt Hildesheim in Herzog Erichs zu Braunschweig Schutz und Schirm seyn solle, doch also, daß sie bey allen Privilegiern, Gnade und Freyheiten umgehindert und ohnbetrubt verbleiben lasse. add. BESOLD. de *soeder.* c. 5. §. 16. fol. 66. fin. & incomparabilis GROT. de *Iure B. et Pacis libr. 2. c. 16. n. 10. et 30.*

§. XIX. Ceterum accidere etiam solet, ut communitas quaedam vel pagus semet veri Domini Iurisdictioni subducere satagat, qui deinde literis Reversalibus cauere tenentur, quod imposterum verum Dominum recognoscere velint, quemadmodum seq. facti species mihi occurrit: In der Graffschafft Solms

E 2
ein

ein ohnweit der Stadt Laubach gelegenes Dorff Freyensehn genannt, dessen Einwohner von undencklichen Jahren die Herren Grafen zu Solms als Possessoren der Herrschaft Laubach continua serie erkennet. Nichts desto weniger hat sich ein Theil, aller ihrer Pflicht, und Treu-Gehorsam vergessend, freuentlich zu entziehen geachtet, der Herrschaftlichen Geboten sich temere opponirt, und sich ohn Wissen und Willen ihrer Herrschaft in frembden Schutz, und zwar Fürstlichen Hessischen begeben, contra A. B. R. I. et Constitut. alias. vid. LIMN. in Iur. publ. L. 4. c. 8. n. 79. seqq. Als diese solche endlich wieder zusammen gebracht, haben sie der Solmischen Herrschaft datis literis Reuersalibus anno 1505. die Urbani ihren gehegten Uingeorsam und Widersetzlichkeit erkannt, deswegen um Gnade gebeten, das Dorff Freyensehn mit aller Obrigkeit, Herrlichkeit, Gebot und Verbothen ohne Mittel der Herrschaft Laubach zustehend, agnosciret, und auf den implorirten und gesuchten Fürstl. Hessischen, auch allen andern frembden Schutz zu ewigen Tagen Verzeuch gehan, und solches zu halten leibliche Sydes-Pflichte abgeleget, cuius formula videri potest in tractatione edita anno 1674. de abusu Iuris Aduocatiae.

§. XX. Egimus hactenus pluribus, quomodo literae Reuersales circa Ius Aduocatiae occupentur, nuncque ad alia transeundum esset, antequam vero id fiat notatu dignissimam euoluam quaestionem, an liceat Principi vel his qui Reip. praesunt, acceptis tamen solennibus Reuersalibus literis, absque Procerum, Ordinum, Vasallorum (si qui sunt) denique absque singulorum ciuium consensu foedus clientelare pacisci? In qua dubitandicationem praebet in primis, quod naturaliter ad perfectionem actus requiratur eorum consensus quorum interest,

interest, aut aliquo saltem modo interesse potest, actum illum celebrari, vel non celebrari; per axioma ICtis nostris familiare, ad quosuis actus omnes et singulos quorum interest citandos esse, eaque citatione omissa nihil actum videri, sed rem quae geritur manere propter nullitatem, ut loquuntur in statu priori. Dd. comm. ad tit. ff. de in Ius vocand. per text. in l. de unoquoque ff. de re iudic. Interesse autem omnium et singulorum ciuium, vt sciant et secum considerent ipsi, quorum tutelae ac patrocinio commendentur, quos Patronos, quibusue conditionibus accipient, tum propter commune fortunarum pérículum, tum propter obligationem, nexusque obseruantiae patronis debitae, aliosque Iuris clientelaris effectus, qui in ipsis subditos simul deuoluuntur, rationi videtur consentaneum. Plures dubitandi rationes videri possunt ap. BOECKEL. de Iur. Protect. Clientel. p. 2. c. 1. §. 66.

§. XXI. Verum enim vero hisce non obstantibus, quoad constituendum legitime Ius Aduocatiae clientelaris aliud dicendum est. Ad id enim sufficit voluntas et consilium eorum regulariter, qui de Maiestate vel Superioritate Reip. participant: reliquorum consensus potius ex aequitate, quam necessitate desiderabitur. Ut enim belli et armorum iura ad solam maiestatem pertinent; ita ad eiusdem Maiestatis officium suis an sociorum viribus se Remque Publicam defendere velit, statuere, proinde et societatem et foedera eo nomine pacisci. MART. de Iurisd. L. 1. c. 39. f. WAHREMUND. ab EHRENB. de foeder. p. 1. c. 2. Subditorum igitur, quia per rerum naturam eodem respectu, eodemque tempore et circa idem (h.e. circa Maiestatis exercitium) simul occupati esse, et simul obsequii partes obire non possunt. l. 35. §. 8.

de solut. ARNISAE. L. 2. de Iur. Maiest. c. 5. n. 1. consensu opus non est. Et quod supra in genere de iis, quorum interest dictum, aliter intelligi non debet, quam si illi de negotio, quod agitur statuendo, eiusque iure vel aequaliter, vel modo aliquo participant. TIRAVELL. ad tit. Cod. res inter alios acta &c. in pr. verb. 69. H. GROT. Lib. 2. c. 5. §. 32. deinde etiam non est quod sibi vehementer metuant, cum adsit cautio sub literis Reuersalibus, quae conseruant Ius quaeque contra fiunt annullant add. cit. BOECKEL. alleg. loc.

§. XXII. Interea tamen sicuti multa licent, quae si alio modo fiant, expedient magis; Ita cum de ipsa Maiestatis potestate quaeritur, *ad ea obeunda, quae sibi sunt officii, non ipsi consensu subditorum opus fuerit, si strictum Ius spectemus;* at in arduis et consequentiam aliquam post se trahentibus negotiis, et aequius fuerit, et expedit magis conseruandae Reip. in consilium cives maxime prudentiores adhibere, ut sapienter hic consuluit THOLOSAN. L. 24. de Rep. c. 7. Exempla posses colligere ex BOECKEL. de Prot. Client. p. 2. c. 3. n. 13. seqq.

§. XXIII. Notandum insuper est, quod vigore Superioritatis territorialis Principibus competit *Ius sequelae;* Idcirco Aduocato vel Protectori competere non potest, vt potest qui nec Iurisdictionem nec Superioritatem accipit, per tradita *tb. 17. et MART. MAGER. de Aduocat. armat. c. 10. c. 152.* non magis quam patrocinium priuatum. H. GROT. L. 1. c. 3. §. 21. Referuntur tamen quaedam exempla apud MAGER. loc. cit. quod clientes eorumque subditi certis in casibus Protectorem euocantem sequi, et opem suppeditasque aduersus inimicos vasallorum instar aliquando ferre teneantur: cuius sequelae vestigia mansere in subditis Combergensibus (patria vicinis) qui Seniorem ex domo Limburgica,

burgica, Collegii Combergensis Protectorem ex singulari familiarum iure & transactione, bello, seditionibus et aliis molitionibus implicatum sequi, et consequenter ut clientes defendere debent. Hisce tamen casibus literas acceperunt reuersales, ne extra illos casus euocentur, ipsisque in iure quaeſito fiat praeiudicium. Fit etiam nonnunquam ut pacta inter Principem et ciuitatem vicinam de auxilio casu necessitatis ferendo sub his reuersalibus ineantur, quae tamen pacta postea non arguunt eīne Landes-Folge, sondern eīne Hülfe, cum sequela regulariter subiectionis iure exigatur, qua propter ne praeiudicio sit, literis reuersalibus semet obligare solent.

§. XXIV. Porro reuersalium praxin sum ostensurus in *Iure Aperturae et Iure Praefidii*. Notissimum quippe Iuris publici Cultoribus esse potest, haec iura Principibus Imperii vi Iurisdictionis Territorialis competere. Est autem Aperturae Ius Regale, quo aliqui alterius ciuitas castrum aut fortalitium, belli pacisue tempore ad securitatem, hospitium, vel transiitum apertum esse debet. Competit autem id Superiori vel vigore Superioritatis, MYLER. de Statibus Imperii p. 2. c. 80. n. 1. aut extraneo, ex Iure quaeſito. In illo consideramus quatenus iure proprio hoc possidet, vel etiam reseruatione expresse habita sibi prospexit, quae tam in conspectibus quam in uestitura locum habet, cum Dominus in alienatione rei suac, quamcumque velit legem dicere possit, pacta enim dant legem contractui. l. 1. §. 6. ff. depositi l. 10. C. de paſtis. Quibus in paſtis vel traditionibus literas reuersales a nouo castri Domino vel civitatis petunt. Exempla prostant in Theodorico Hollandiae Comite, qui cum arcem suam Gentheim, Episcopo Traiectino tradidisset, illam

illam sub hac conditione in beneficium recepit, vt Comiti liber esset introitus et exitus in dictam arcem **WILHELM. HEDA** Hist. Traiect. *Libr. 26. fol. 308.* et propterea literas reuersales Comiti transmittendas, curauit. Addit etiam **ANDR. KNICHEN**, se meminisse Duci Würtembergico non vna in arce sub literis Reuersalibus aperturam esse reseruatam, quod inter confoederatos et in dotalitiis non infrequens. de *Superior. Territor. c. 4. n. 627.*

§. XXV. Haec quae dicta hactenus sunt, locum habent in Domino, qui solus Iurisdictionem castri cum ipsa proprietate sibi adseruit. Quaeritur iam an idem quoque in *Ganerbiis seu Condominis Castrorum*, qui vi paeti communem in eadem ciuitate vel arce Iurisdictionem exercent, locum habeat, ita vt in alienatione partis suae, vel in eiusdem partis inuestitura acceptis literis reuersalibus aperturae Ius sibi reseruare possint? Dubia in quibusdam res tristatione alienationis per ea, quae habet **GAIL. 2. Obs. 69. n. 22.** cum tamen ibid. ex **BART. & BALD.** relati casus, de praecidicio alterius condomini, et in specie fratris agant, cum Principi, i.e. Superiori, et quidem vicino vendere istam suam partem intendat; merito nos si pari vel inferiori partem suam concedat contrarium statuimus, scil. vt hoc casu etiam sibi in quacunque alienatione Ius aperturae reseruare possint, modo non pactis seu constitutis inter se legibus prohibeantur. **KILLING. de Ganerb. castr. disc. 12.** quod nobiscum literae Inuestiture et Reuersales super castro *Neuen Beymberg* probant, quae periuntur in *Act. publ. edit. aparte Elec. Palatin. anno 1668.* add. **RITTERSHVS. part. feudal. L. 1. c. 17.** **WEHNER. obseru. pr. voce Ganerben.**

§. XXVI.

§. XXVI. Supra diximus, quod Ius aperturae vel Domino competit Iure proprio vel extraneo iure quaesito. Erit igitur de eo nunc dispiciendum, qui cum nullo iure alterius castrainire, inique commorari absque Domini permisso liceat, secundum ea, quae eleganter tradit BESOLD. P. 3. *Consil. n. 2.* Itaque nec Ius aperturae nisi ex Iure quaesito, i. e. concessione vel praescriptione nancisci possunt. Concessio autem est vel expressa, vel tacita. Expressa vel simplex vel reciproca. Inter hanc autem recte connumerantur pacta Confraternitatis et Successoria Erb-Verbrüderung und Erb-Vereinigung, quae quamvis per se et in specie non agant de apertura, multoties tamen simul consti-
tuunt, ut alter alteri ad mutua defensionis auxilia te-
neretur. Sic aperturam in suis fortalitiis sub literis re-
versalibus sibi inuicem repromittunt, praesertim vero in pacto successorio die Chur-Fürstl. Häuser Sachsen,
Brandenburg und Hessen verba vid. apud CARPOV.
de pact. confratern. Sax. Hass. tb. 14. n. 53. & 54. Quoties autem hisce casibus expresse non interueniunt reuer-
sales, similes tamen pactiones conficiuntur, ex quibus de toto actu iudicari possit, ad minimum tutis-
sime adhibentur.

§. XXVII. Quaestio porro peregredia est apud Feudistas de Domino feudi, *an se illi in castro, quod alteri in feudum concessit, Ius aperturae competit, ut illud etiam tertio conferre possit?* Quod negatur, siquidem notissimum est minus plene possidere Dominum feudi castrum illud, idcirco tanta circa id ipsi non amplius competit dispensatio, imo Domino amplius haud licet feudum vasallo quacunque seruitute praeagrauare: Nisi ex te-
nore inuestiturae reseruatio appareat generalis de dis-
positione iurium istius castri, vel etiam speciales quoad

F

Ius

Ius aperturae solum exegerit Reuersales. Fieri enim quam maxime solet, vt ad concedendam aperturam castri sui vasallus, datis reuersalibus, erga Dominum fese obliget. Quemadmodum ex veterum documentorum perfectione formulam nobis, non modo in hac, sed in aliis casibus, reliquit cit. FRITSCH.
de lit. Revers. c. u. f.

§. XXVIII. Sequitur nunc ut agamus de *Iure Praesidii* vid. tbes. 24. et nullum est dubium, quin ius Armandiae etiam Principibus sicut alia iura iuste competit, praefidiarios scil. milites in ciuitates et arces ponendi, die Stadt und Befestigung zu besegen, quo excubias agant, ciuitatem defendant, et ea omnia peragant, vt ab hostium incursione illae si conseruentur. KNICHEN de *Iure territ.* c. 3. n. 252. et 409. WALTHER. de *Metat.* c. 15. §. 129. FRITSCH. de *Iur. fortal.* c. 5. n. 20. TABOR. de *Metat.* c. 3. f. 16. Quod tamen ius, cum non vbiique adeo absolute propter Statuum Prouincialium libertatem vel priuilegia exercere possint, ideo Reuersales literas dant ciuitati, quod non id perpetuum, sed saltet ad praesentem Reipublicae Statum, periculo obnoxium defendendum hoc faciant, et cessante periculo lubentissime abscedere velint.

§. XXIX. Anceps autem hic et vexata inter Dd. est quaestio, an Dominus feudi tempore belli pro tuitione Status sui, castrum vasalli ipso innato occupare, fortificare et praefidio munire possit? Non desunt qui hoc afferunt. Pro quibus adduci potest Constitutio Imperat. in cap. vn. L. 2. f. 5. vbi iuramento vasallus obligatur, vitam Domini sui, nominatim membra, mentem et eius rectum honorem custodire, vtique igitur tempore necessitatis Dominum, castri munitione adiuuare obligatus erit. BRVN. Consil. feud. 28. n. 18. CAPYC. Decis. 24. pr. HERING. de *Iur.*

de Iur. Burg. num. 683. FRITSCH. de Iur. fortalit. c. 4. n. 57.
 Quo in casu solet Dominus feudi vasallo reuersales,
 quas vocant, literas dare, in quibus cauet de indemni-
 tate, et quod cessante causa sc. periculo, cessare debeat
 effectus. Qualem declarationem inuenies apud cit.
FRITSCH. num. 58.

§. XXX. Absolutis hisce, transeundum nunc
 nobis est *ad venationes precarias*, per vniuersam fere Ger-
 maniam frequentissimas, de quibus in genere pauca
 melioris ordinis gratia agemus, deinceps reuersalium
 usum in iis ostenturi. Est autem venatio precaria,
 quatenus ipse actus, quo aliquid usus venationis ex gratia
 conceditur, ea indigitatur, actus liberalitatis, quo
 Princeps, vel alius cui lus venandi in aliquo districtu
 competit, id ad preces implorantis, regulariter gratis
 vtendum concedit, sic vt accipiens iuxta modum con-
 stitutum illud Ius exercere, concedens vero illud regu-
 lariter pro lubitu reuocare possit. Germ. Gnaden-Jagt,
 appellantur etiam Jagten auf ein Revers, WEHNER.
obseru. pr. voce Forst-Recht, nec non ein aus Gnaden und
 durch ein Revers zugelassen und bewilligter Jagens-Ge-
 brauch. Est vero vti et altera venatio, quae proprio
 Iure competit, triplex; vel quadrupedum vel pisium
 vel auium; deinde vel maiorum ferarum vel mino-
 rum; denique ratione adiuncti vel clamorosa, quae
 inflatione cornu venatorii, et canum incitatione per-
 agitur, vel placida, quae retibus peragi solet. Nostro
 scopo autem propior accedit distinctio, in regularem
 et irregularem: Illo nomine, mere et omnimodo
 gratiofa seu precaria venit, et e contra sub nomine irre-
 gularis indigitamus illam, quae in eo notissimos pre-
 caria terminos siue limites excedit, vt ille cui venatio
 precaria conceditur, pro eius usu annuam pensionem

praestare teneatur. add. CHRISTIANAEVS Volum. 13.
Decis. 109. LAVTERB. ad tit. Locat. §. 1. n. 10. HEROLD.
Consil. 40. n. 17.

§. XXXI. Plus vero gratiae illa habet, adeoque nomen precariae venationis magis meretur, quam Princeps suo v:g. Ministro pro annua sed modica et valde exigua pensione concedit, sic vt illa quoad praecipuam partem ex liberalitate eidem remittatur; sed tamen quia et haec notissimos precarii terminos exce-
dit, arg. l. 38. ff. de contrab. emt. l. 52. pr. ff. de donat. int. vir. et uxor. Ideo Dd. hasce venationes non simpliciter Gnaden-Jagten, sed hoc gemino nomine Bestand- und Gnaden-Jagten, efferre solent. BE SOLD. voce Jagen, vbi literas concessionis exhibit. Si vero in huiusmodi concessione solummodo honorarium seu honor quem nuncupat ICTUS, in l. 6. pr. ff. mandat: eine jährliche unterthänigste Reconnoissance vor verliehene Gnad, in decentem grati animi declarationem, siue remunerandi siue honorandi gratia promittatur, nunc quemadmodum et in aliis gratiosis negotiis explorati iuris est, quod eorum natura per illius interuentum non destruatur. l. 6. ff. d. tit. l. 2. §. 24. vi bonor. rapt. MANTICA de tacit. et amb. conuent. L. 10. thes. 1. num. 2. FRANZ. ad tit. mandat. num. 26. Ita pariter et hic plane salua manente precariae essentia et forma idem fieri posse, persuasi-
sum habemus. Facit hic elegans Decisio ap. MEV. P. 8. D. 402. ibi: eiusmodi sunt etc.

§. XXXII. Causae propter quas concedantur secundum D. HARPRECHT, in Differt. de venatione pre-
cariab. n. variae sunt. 1. Mera Principis gratia huic bene-
ficio locum parit, ita vt v:g. Principi charus ac fidus Minister facile, a facili in primis Principe precariam sibi venationem exprecetur; vel si aliquem emeritum
et fide-

et fidelem Achatem, munificus eius Dominus, castro prius vel pago, iure feudi donatum, iure quoque venationis precariae honoret: obseruante id FRITSCH. in Append. tr. de Conuenat. it. HENNING. GO EDD. Conf. 3. in fin. Vniuersitas Ingolst. ap. KIRCHOV. T.V. Conf. 18. MEICHSNER. T. III. fol. 1037. Sive (2.) huiusmodi concessionem controueriacae Dec. 23. et lites hucusque super Iure venandi, v.g. inter Dominum et Vasallum agitatae, ita concilient, ut amicabiliter super illis transfigendo, Vasallus Ius venandi saltem titulo seu Iure precari retineat, vel id tanquam priuilegium personale ei a Domino confirmetur, ut promiscue haec effert Laudat. FRITSCH. loc. cit. Siue (3.) Princeps etiam ex aliis rationibus, ad suum quo erga aliquem propendet munificum animum h. m. declarandum moueri potest; v.g. si Comiti nullam in aliqua Dynastia venationem habenti, Princeps precariam propter suscepctionem ex sacro fonte venationem concedat; De qua Dn. COCKEL. de Reg. Europ. c. 16. §. 15. HERM. HERMES Fas. Iur. publ. c. 11. qu. 1. n. 106. in quibus casibus venatio precaria mere est spontanea, et nullis praecedentibus precibus indulta. Siue (4.) Princeps in locis nimis remotis habens venationes, ad tanto felicius quasi possessionem Iuris sibi competentis ab inuasione aliorum tuendam, earundem exercitium sub certo modo alicui concedat. FRITSCH. loc. cit. Rara etenim Principis in tali loco praesentia, facillime vicinos spe prae-dae inescatos, inebriat quasi et ad delinquendum inuitat. add. PERNEDER. Instit. forens. p. 61.

§. XXXIII. Ut autem omnino Principes hisce casibus, precariam alicui venationem concedentes, de Iure suo securi reddantur, accipiens, literas, quas vocant, Reuersales dare ei tenetur, in quibus profitetur se

venationem in certo districtu ex mera gratia accepisse, simulque promittit, quod nullo vñquam tempore sub alio titulo eam sibi arrogare, vel aliter quam sibi nominatim concessa est, venationem exercere velit, et Domino liberrimam eam pro arbitratu reuocandi facultatem transscribit, quae optime confirmat NOE MEV-RER Tr. vom Jagt- und Forst-Recht, quando scribit: Zu Zeiten begibt es sich auch, daß erwan gütlich, um mehr Friedens oder etwas Nachlassung will, oder aber die Hölzer und Jagten so gar entliegen, und also nicht wohl zu bejagen und zu handhaben, und damit nicht andere Be-nachbarde sich derselben gebrauchen, in ein Possession da-durch heimlich eindringen, ein Herrschafft aus Gnaden und angeregten Ursachen, auf ein Revers, sondern Personen, ein sondern Bezirk und Platz, den mit einer Maafz und solcher Form, die doch nach Verleihung iederzeit zu ändern, zu bejagen eingiebt. tit. von uns aus Gnaden und durch ein Revers zugelassen Jagens-Gebrauch p. 31. vbi et eius-modi Reversalium formulae inneniuuntur. add. BE SOLD. thes. Præct. voce Gnaden-Jagen.

§. XXXIV. Inter personas autem, quae sub literis reuersalibus venationem hanc concedere possunt, me-rito numerantur *Tutores & Administratores Illustrium Personarum*, non obstantibus, quae in contrarium a cit. HARPRECHTO differt. thes. 14. allata sunt. Siquidem Tutores et Curatores personarum Illustrium, ex rebus Illustris pupilli vel adolescentis donandi facultate, non ut alii tutores destitui passim tradunt Interpretates. GAIL. 2. obs. 72. num. 8. CARP Z OV. p. 2. c. n. d. 48. n. 4. GV TTIE-REZ de tutelis c. 6. n. 9. seqq. SVRD. Consil. 140. n. 35. donare siquidem laus Principum est, et ornamentum Nobilium, quo de multa vid. apud GAIL. et TIRAQVELL. 1c. cit. add. LIP. s. Polit. 4. c. 8. Vnde dicant quod Tu-tores

tores personarum illustrium acque ac ipsae donare possint, eo quod id conueniat huiusmodi pupilli vel tutoris personae. CAVALCAN. de tut. n. 121. etiam extra causam meritorum et gratitudinis. SVRD. d. l. n. 35. TASON. Cons. 5. n. 73. modo id eò modo fiat, quo Principe liberalitatem exercere consuevit. SVRD. l. cit. n. 73. Multo magis in personam magnis erga Principem meritis subnixam Ius habent. per l. 12. §. 3. de administr. tut. l. 4. ff. vbi pup. educat. SVRD. Cons. 140. n. 34. eo quod talis concessio non tam donatio, quam potius compensatio sit. l. 25. §. 11. f. ff. de hered. petit. HAHN. ad WESEENB. tit. de donat. n. 4. CARPZ. p. 2. c. 12. d. 15. n. 7. et id confirmarunt Facultas Iuridica Francfurt. autore BRVN. ad l. 12. n. vlt. ff. de administr. tutel. sed et Lipsiensis ap. CARPZOV. l. cit. def. 48. It. Tubingensis in ardua quadam causa an. 1688. teste HARPRECHTO cit. differt. tb. 13. insuper et confirmat exemplo BESOLD. in Thes. Pr. voce Jagten.

§. XXXV. Ostendimus haec tenus quatenus usus Reuersalium se exerat in Iure venationis, quo relictio, ad nobilissimam quoque et maxime usitatam Apanagiorum materiam me confero, ostensurus, quantum Reuersales literae circa illam locum habere possint. Non dubito igitur quin Sacratiora studia tractantibus cognitum sit, in quam plurimis Regnis Primogeniturae Ius esse introductum. Idem etiam videmus in quibusdam Germaniae nostrae Illustribus Familiiis, cuius finis alius esse non potest, quam splendoris et dignitatis familiae conseruatio. MENOCH. Cons. 1032. num. 27. et Cons. 1171. n. 30. Cum autem primogeniturae Ius, successiōinem in Imperio ac Regimine in solidum tribuat primogenito, iniquumque esset reliquos fratres ad mendicitatem redigere, vel omnibus honoribus ac imperio arcere; ideo summa aequitate Duce Apanagium in fami-

familis Illustribus est ortum, quo mediante fratribus postgenitis certa pecuniae summa vel certi redditus, et quidem condigni Statui eorum determinentur, vnde titulum et dignitatem tueri possint. Inde dicuntur Principes Apanagiati, alii Abbanagiati, Abgefundene Herren, BE SOLD. in Thes. præf. lit. A. Quod eleganter exprimit Autor Thesauri Politici part. i. Relatione di Francia fol. 181. Questo è costume ordinaria in Francia, non solamente nella Corona, mà in tutte le case grandi, chè il primogenito eredita ogni cosa, e gli altri hanno solamente tanto, chè gli basta per vivere secondo la qualità sua. Il che conserva la Grandezza delli Stati, è ricchezza delle case, che dividendosi per testa, veniranno presto in niente. Quod Ius *περιτοτοκείας*, vti respectu fratrum durum forte ac rigidum nimis est; ita splendoris familie conseruandæ intuitu aequissimum. Quod ipse Maximil. I. in Confirmatione Iuris primogeniturae in familia Ducatus Iuliacensis de anno 1508. inter alia adduxit.

§. XXXVI. Principatum diuisio parit familie obscurationem, in tantum, vt accende temporum serie et multiplicatione proliis, Posteri, Duces au- diant absque Ducatu, Marchiones absque Marchionatu. ALEXAND. Consil. 52. num. 42. l. 4. NEVIZAN. Consil. 12. n. 6. CRAVETTA Consil. 895. n. 9. add. HIERON. SCHVRF. Consil. 17. n. 16. Cent. 1. GAIL. 2. Obs. 153. n. 3. A quo abhorret quam maxime Scriptor Italicus in Commentario de Italia ita scribens: Spiaquemi viderint Italia tanti Marchesi, Senza Marchesato, Conti, Senza Cotado Cavaglieri, che non hanno ne cavalli, ne spetroni, ne liva, li, non poteva soffrire di vedere nella Cunigiana trenta - Marchesi ad un tratto sopra d'un fiaio perffamarsi. O! come mi venne à noia, il veder

veder in Arcœe in Lodrone du, mile Conti, e un sol Contado, molto stretto e povere. Pensate poiche mi dovea parere, vegendo i Marchesi di Genova, e i Conti di Piacenzaoi Cavaglieri di Bologna.

§. XXXVII. Fit igitur plerumque cum talia pacta in Familiis Illustribus ineuntur, ut sibimet inuicem Reuersales literas dent, in quibus consensum exprimant, omniaque quae imposterum inuicem fieri volunt, declarant, in primis vero primogenitus certos assignatos redditus quotannis stricte persoluere promittit? Apanagiatus autem, quod in primogeniti praedictum nil tentare quocunque etiam sub praetextu velit. Cuius exempla exstant in Ducatu Würtenbergico, Ducatu Sabaudiae et aliis, de quibus videri potest GEORG. HENR. SPRINGSFELD tr. de Apanagio. c. 3. n. 58. et 72. 73. D. GABRIEL SCHWED. *Introd. in Ius Publ. paci. spec. c. 10. §. 10.*

§. XXXVIII. Haec autem Apanagia Principum desumuntur ex domaniis von den Cammer-Güthern, Gall. Domaine et le reenu annuel. STEPH. PASQUIER. L. 2. c. 16. des Recherches de la France. IACOB. MENOCH. Consil. 704. n. 20. et 23. adeo ut nec frater cogatur Apanagium constituerex bonis propriis, se ex domanio. BETSIVS c. 9. de Paci. fam. Illusfr. fol. 603. MENOCH. loc. cit. multo minus Vasalli. SONSBER. de feud. p. II. n. 46. WISSENBACH. de feud. c. 9. n. 17. Quaeritur autem, an Status Provinciales die Landschaft apanagium constituere postgenitis obligati sint? Respond. quod non, Principes enim ex domanio onera publica praestare debent, neque eo nomine subditos grauare possunt, ac sic sentiunt Legistæ, Canonistæ et Feudistæ, quos longa serie citat ERNEST. COTTMANN. lib. 4. Consil. 3. n. 246. Imo ne ad augendum quidem apanagium tenentur. Et sic

G

anno

anno 1583. F. Duci B. ab Ordinibus Prouincialibus die Verbesserung des Deputats mit unterthängisten Glimpfen verweigert worden. Ita etiam ante aliquot annos in Illustrissima quadam Domo practicatum esse meminit cit. SPRINGSFELD tr. de Apanag. c. 7. n. 12.

§. XXXIX. Quando autem domanium Principis est imminutum, ita vt apanagium non ferat, et tamen domino succurri ab Ordinibus aequum sit, creberimae in Comitiis Prouincialibus de augmentandis domaniis instituuntur deliberationes: Inter quas praeципuum remedium est charitatuum ordinum subsidium per collectas, quia tamen precibus ab ordinibus consensuque eorum, non vero impetratiue impetranda, sufficientibus etiam datis Reuersalibus literis. Cum enim eiusmodi subsidium quondam a Principe rigidius vrgeretur, Status Prouinciales ita duplicabant anno 1583. Dass das izige Eurer Fürstl. Gnaden Anlangen nicht soll oder mag von uns, als hierzu verpflichteten abgefördert; sondern müsse wie bey Ihren Fürstl. Gnaden vorfördern regierenden Fürsten auch geschehen, allein precario ersucht werden. Quapropter etiam in literis hisce Reuersalibus, quas ea propter tradere tenentur, seq. verba annexi solent: Wir rühmen Unserer getreuen Ritterschafft erwiesene Gutwilligkeit, nehmen solche unterthängige Bewilligung mit besondern Gnaden auf, verfügen hieraus Unserer getreuen Ritterschafft sonderbare Affection, et alia plura.

§. XL. Deinde domanium etiam in fauorem Principis augetur vectigalium auctione, ac debitorum Principis a Statibus in se suscepta exsolutione. Equidem moris est, vt Prouinciales Ordines potius domanium voluntate sua libera ad factas Reuersales subsidio augere, vel apanagiati aes alienum agnoscere ac in se susci-

suscipere, quam apanagii additamentum decernere so-
leant, prout factum anno 1583. ab Ordinibus cuiusdam
Principis Imperii. Dictarum vero Reuersalium forma
non raro sequens existit: Dieweil auch die Stände Unser
lieben und getreuen Landschafft, Uns und Unsern Erben
und Nachkommen regierenden Fürsten, nicht allein das
Cammer-Guth, mit so viel baarem Gelde verbessert, son-
dern auch die alte und neue Schulden-Last, über sich genom-
men, und also zu Erweisung ihrer getreuen und unterthä-
nigsten Zuneigung sich so hoch angegriffen, haben Wir ih-
nen dagegen zu Bezeugung Unser's gnädigsten Willens, so
Wir zu ihnen tragen, aus freyer Willkür versprochen, und
zugesagt, thun auch dieses hiermit in Kraft dieses Reverses
für Uns, Unsere Erben und Nachkommen, so lange Uns,
Unsern Erben und Nachkommen, die Summa Geldes als
bewilligen Cammer-Guths-Besserung erfolgen, und der
Landschafft obliegender und vor erinnerter Schulde-Last
nicht abgeleget seyn würde. Ihr der Stände nicht allein mit
Decimationen und andern dergleichen Exactionen zu
verschonen, sondern auch Sie die Stände mit mehrren An-
suchen der Schulde übernehmen, auch fernern Cammer-
Guths-Besserung, außerhalb wissentlicher und kundlicher
Landes-Noth, Reichs- und Türken-Hülfe unangeleget
zu lassen, alles treulich und ohne Gefahrde, add. SPRINGS-
FELD. d. Tr. c. 7. n. 44.

§. XLI. Ceterum fit nonnunquam ut ipsi apana-
giati, postquam iam suum a Primogenito acceperint
deputatum, grande aes alienum contrahant, ac idcirco
Ordines prouinciales primogeniti fratris, blandis ac
persuasoriis verbis, ad conseruandam reputationem
ac autoritatem suam procharitatio subsidio compel-
lant. Quo facto, nonnunquam ii Ordines, qui pruden-
ter etiam post genitorum Principum clementiam ac

fauorem aucupari debent ac solent, ad certas Reuersales, daß sie hinsüfthro die Sünden mit mehrern Ansuchen der Schuld-Übernehmung, oder anderer vergleichener Hülf-Leistung gänglich verschonen wollten, aet alienum Apanagiatorum in se precario suscipere assolent. Ac ita anno 1583. et 1588. a Statibus Prouincialibus D. B. practicatum.

§. XLII. Ex praesuppositis hisce decidenda venit illa quaestio non inelegans, *An ordines, Apanagiatos Principes captiuos, suis sumtibus redimere teneantur?* quam mouet BE SOLD. *Dissert. Nomico-Polit. L. 1. Disp. 5. n. 16.* ac indecisam relinquit: Puto tamen distinguendum esse, aut cum consilio Ordinum suasuque bellicam expeditionem Apanagiatus suscepit, in eaque ab hostibus capitum, quod absque dubio relaxationem eiusdem ordines facere teneantur, vid. MAVL. *de Homag. tit. 8. per tot.* Sin non consilio suasuque eorum, ad nihil tenentur, nisi itidem ex gratia vel spe alius fauoris, sub literis Reversalibus eum redimere velint.

§. XLIII. Memini quoque me legisse, quod interdum Iure familiaritatis primogenitus cedat administrationem secundo genito vel ad tempus, vel in perpetuum. PEREGRIN. *vol. 3. Conf. 4. num. 9.* PAVL. *de CASTRO. Confil. 129. col. 3. v. II.* atque eo ipso sibi non praediudicat: Eo enim iure si quid potest videri permisum, non derogat iuribus permittentis. PEREGRIN. *cit. loc.* Et in hoc casu tutissima pro primogenito via est, ut literas Reuersales sibi exposcat, in quibus administrans cauere debet, se conuento tempore cessurum, nec quicquam in ipsius susceptum praediudicium. add. SPRINGSF. *de Apanag. c. 13. n. 20.*

§. XLIV. Notissimum porro est quemlibet fauori pro se introducto renunciare posse, quapropter potest

potest quis cum primogenito pacisci quod non velit petere Apanagium. *Q. igitur. Si tertio genitus promittat fratri primogenito, sub Reuersalibus literis, se non petiitum Apanagium, an eo mortuo possit a secundo genito, si succedit, petere, vel an istud pactum transeat ad secundogenitum Successorem?* FLORIANVS de s. PETRO in l. vt pomum ff. de Seruitutibus in Glossa scribit: quod promittens non petere viatum et militiam a tali fratre super feudalibus, illud pactum sit personale, et non transeat ad fratrem Successorem. *I. Iuris gent. §. pactorum ff. de pactis.* Secus autem si in ipso pacto esset expressa causa vel ratio pacti, puta ne feudum extinguatur, vel minuatur, tunc enim esset pactum reale & transiret ad Successorem. *B R V N N. in l. 3. §. opus ff. de alien. iudic. mut. causa fact. et in l. fin. ff. de N. O. N.* Ego itidem in hac controvèrsia verba literarum Reuersalium inspicienda esse iudico, an in fauorem primogeniti solum sint concepta, ita ut personam potius quam ditionem ipsius respexerit, an vero ad liberandum forte Ducatum ab aere alieno; priori casu personale; posteriori reale pactum erit, et Successor eo vti poterit.

§. XLV. Pertractauimus haec tenus varias causarum figuræ, in quibus Reuersales literæ locum habent; nunc ad Iurisdictionalia nostra delabitur oratio, in iis autem praeprimis maximus Reuersalium usus sese sistit, et quidem circa *Remissionem facinorosorum eorumque transportationem.* Quae remissio orta est apud Romanos primum ex mutua Ius dicentium conventione, intercessu postea temporis, cum insignis eius in Republica appareret utilitas, paulatim introductum, ut omnes Magistratus ad Instantiam Iudicis competentis reum sistere atque remittere tenerentur. Maxime siquidem Reipublicae interest, scelera eo in

loco puniri, in quo perpetrata fuerunt; idque propter exemplum, ut qui nondum deliquerunt, a criminibus atque delictis abstineant, punitione delinquentium deterriti. *I. 28. §. 15. ff. de paenit. Nov. 134. c. 4.*
§. si quis vero. IOH. ALOYS. RICCIUS Dec. p. 6. collect. 2214.
LVDOV. PEGVERRA Dec. Catalon. 62. Imo nullibi locorum expeditiori modo processus inquisitorius institui et punitio decerni potest, ibi est faciliori labore Iudex omnia expedire propter praesentiam vel testium vel aliorum iudiciorum, quae extraneum omnino latere possunt. ANDR. RAVCHB. *p. 1. qu. 50.*
n. 8. CARPZ. Prax. Crim. p. 3. qu. 110. n. 50. Tum etiam, quia plus solatii accedit laesia isto crimine, si in eorum conspectu vel loco delicti commissi vindicta de fontibus sumatur. *d. l. 28. §. pen. ff. de paenit. MATTH. WESEN B. par. ff. de accusat. n. 7.* Denique, ne illi, qui damnum passi, cogantur extra Provinciam litigare, quod durum esse ait *Nov. 69. c. 1. RAVCHBAR. et CARPZ. cit. lot.*

§. XLVI. Verum vtut has remissions delinquentium vbiuis locorum nondum in desuetudinem abiisse, sed necessitatis adhuc esse nonnulli statuant, vid. THOMING. *Dec. 5. n. 4. KOEPPEN. Dec. 43.* tamen iis generalis germaniae confuetudo derogat, et in hoc mutatus est Reipubl. Status. Siquidem in nostro Rom. German. Imperio non vti olim omnes Prouinciae vni Domino parent, sed Iurisdictio patrimonialis facta est, i. e. hodie Iudex domicilii vel eius loci, in quo reus est deprehensus ad remissionem obstrictus non est. GAIL. *de Pac. publ. c. 16. n. 30. WESEN B. Paratit. de accus. n. 8. MODEST. PISTOR. Consil. 29. n. 6. & 7. Vol. 1. PROSP. FARINAC. in pr. Crim. L. 1. tit. 1. qu. 7. n. 28.*

§. XLVII. Non in totum omnis cessat remittendi delinquentes ysus. Id tamen certum est amicitiae

citiae magis, vicinitatis ac urbanitatis Iure, quam necessitatis fieri, ideo, quoniam valde proni sunt homines ad Ius sibi aliquod circa aliena, ex quo quis actu semel atque iterum permisso fingendum, adhibent Antigraphum seu Reuersales literas, quibus Iudices loci vbi delictum commissum sibi cauent, nihil scil. per hanc remissionem, quam non Iure precibus obtinuerint, Iurisdictioni vel superioritati ipsorum derogatum iri, seque in simili casu idem facturos esse. ANDR.

GAIL. de P. P. L. I. c. 16. PET. THEOD. Coll. Crim. Disp. 4. tb. 3. Lit. D. CARPZ. p. 2. const. 22. d. 3. n. 5. Imo in praefecturis Iudices die Amts-Leute und Schöffer v. g. a vasallo me-
rum Imperium vel criminalem Iurisdictionem habente, datis Reuersalibus vel facta promissione, quod idem in simili casu facere velint, remissionem delinquentis sub ipsis iurisdictione degentis petere debent. CARP-
ZOV. pr. Crim. p. 3. qu. 110. num. 59. seqq. add. FRITSCH.
fil. dissert. Lipsiae habita, de Remissione delinquentium c. 3. §. 5.

§. XLVIII. Actum est de remissione, agendum restat de Transportatione, quae hodie absque requisitione Domini territorii fieri non potest, quia Principes et Status Imperii iurisdictionalia magis quam patrimonialia curant, et potius de his, quam illis sibi aliquid detrahi patiuntur. KLOCK. Consil. 147.
n. 90. Summo igitur obseruant rigore ne circa ea praeiudicij quid ipsis oriatur. Quapropter plerumque per requistoriales literas rogantur, vel literae salui conductus petuntur, plerumque vero etiam literae Reuersales permittenti traduntur, quibus cauetur eodem quem supra descripsimus, modo. add. BEOLD.
Theſ. Praef. Lit. D. vbi acta, in causa Ortenburg contra Baiern allegat.

§. XLIX. Occurrunt quoque Reuersales literae
in Re-

in Retorsione Iuris iniqui. Quaeritur igitur an vti liceat eo iure aduersus eam ciuitatem quae antea consuetudinem iniquam contra retorquentem nondum exercuit? Resp. Quod non, si enim est ciuitas, quae hereditates, legata et fidei commissa, vel nisi certa quapiam re detraeta ad alia loca transferri quidem non patitur, attamen hoc ius non indifferenter aduersus ciuitates omnes exercuerit, hae ciuitates aduersus quas Ius hoc exercitum nondum est, retorsionem contra illam ciuitatem quoque praetendere non possunt, non obstante, quod illa ciuitas iam contra alias fuerit via. add. Constit. Elect. 38. §. Vixi aber ibique MOLLER. n. 7. ANDR. GOLDBECK. de Gerada c. 9. n. 51. MATTH. BERLICH. p. 3. concl. 51. n. 27. Est enim retorsio instar defensionis, quae nunquam habet locum nisi offendit praecesserit. arg. 1. 44. sub fin. ff. de pacet. 1. 59. de administr. tut. Non autem praesumitur exercuisse, consuetudo enim est stricti Iuris, ideo in individuo probanda. 1. 39. ff. de LL. ANT. FABER. Cod. Sabaud. L. 1. t. 2. def. 45. n. 19. In dubio autem recurrit ad libros publicos, ex quibus colligitur an eiusmodi casus euenerit, praeferim vsu hodierno, ubi vt plurimum exiguntur literae Reuersales, dasz auf zutragenden Fall hinwiederum dergleichen Abfolge geschehen solle. REINH. ROSA addit. ad Moller. b. n. 7.

§. L. Porro in vniuersa fere Germania receptum est, vt Principes ac Magistratus subditos siue delinquentes carceribus adstrictos non dimittant, priusquam iuramentum de non vindicando carcere, vulgo Vrphedam praestiterint vel potius sub iuratis Reuersalibus de iis non vindicandis caueant. In quibus Reuersalibus Magistratus interdum eo audacie procedit, vt subditos carceri mancipatos in iis cauere cogat

cogat de se non vindicando etiam iudicio legitimo,
i.e. solenni processu, de quibus eleganter CARPOV.
P. 2. c. 36. d. 3. quae Reuersales stricte sunt interpre-
tandae. NATTA Conf. 42. n. 3.

§. LI. Frequentissimum itidem est per Germaniam, ut Magistratus, Scabini aliique officiales in ipso officii ingressu iuramento obstringantur. P. 43. C. de Iudic. IOH. PET. SVRDVS Conf. 261. in fin. IOH. PETR. FONTANELLA de paet. dotal. claus. 4. class. 10. p. 1. n. 122. Et hoc de consuetudine totius mundi receptum esse tradit DON. GAS. MASTRILL. de Magistrat. L. 2. c. 2. n. 51. In quibusdam Prouinciis insuper literas Reuersales Domino dare tenentur, in quibus declarant fidelitatem futuram, promittentes omnia neglecta in pristinum statum aut reducere, aut aequivalens praestare velle. Nec hoc fidem Ministri facit dubiam ME- NOCH. L. 6. Praesumt. 52. n. 7. Qui enim probus Minister est, quique iustitiae non minus, quam aeternae salutis memor, petitas Reuersales manu sigilloque suo munitas, tradere non grauabitur.

§. LII. Maximus etiam Iuris territorialis effectus consistit in Receptione subditorum. MYLER. de Stat. Imp. p. 2. c. 38. §. 2. MASCARD. V. 3. Conf. 1397. n. 26. cum vero saepius se offerant, qui Dominum adhuc habent, in cuius praeiudicium nihil stipulari possunt; idcirco receptum in Imperio ad lites praeccauendas, ut non prius acceptentur subditi, quam exhibuerint literas suas Reuersales a priore Magistratu datas, daß sie num
mehr frey, niemand eigen, auch sonst kein nachjagenden Herrn haben.

§. LIII. In Renunciationibus Iurium expressis quam maxime etiam interueniunt nostrae Reuersales. Sic Christianus Dux Brunsuicensis ac Lüneb. Episcopatui

H Halber-

Halberstadiensi 18. Iul. 1623. renunciauit: *Dass er aus Besorg allerhand feindlicher Verfolgung, dadurch das Stift in äuerstes Verderben gestürzet, oder etwa gar der reinen Evangelischen Lehre beraubet werden möchte, aus reisem Rath und gepflögner Deliberation Seiner Frauen Mutter und Herrn Bruders Liebden, solches ad manus Capituli resignire, also, dass zur neuen Election zu schreiten niemand hinderlich seyn würde.* Verreuersire sich deswegen auf beste Weis und Form, vid. SPRINGSFELD. *de Apanagio cap. 3. n. 246.* Ex Historiis quoque liquet; quod in Dania anno 1527. Episcopi in Conuentu Arosensi publicis ac solennibus Reuersalibus literis. omne Imperium mundanum a se abdicauerint, et in Regem transtulerint.

§. LIV. Filiae quoque ac sorores Principum et Comitum dote constituta ac cauta, iuramento corporali, ante factam copulationem vel ingressum thoramaritalis, renunciare debent hereditati. BESOLD. *Dissert. Nomic. Polit. n. v. 10.* ac literas Reuersales manu propria, sponsisque subscriptione Verzeich-Briefe, indigitantur. GAIL. 2. *Obs. pract. 148. n. 7.* Si vero temporis angustia ac qualitas ante copulationem, iuratam renunciationem non admittat, altero vel tertio die mane fieri potest ac debet, ac ita in nuptiis Cels. Principis Ernesti D.S. Altenburgi habitis practicatum est, teste SPRINGSFELD. *de Apanag. c. 12. n. 62.* Sic Carolus V. Galliae Rex cum filiam Mariam elocaret, Hannoniae Comiti Guillermo Anno 1374. ab illo fuit stipulatus, vt sub literis Reuersalibus iuri in Regnum Delphinatumque renunciaret, non quod opus esset, cum certum sit, que le Royaume de France ne tombe point eu quenouille, sed quia tum recens erat vulnus iniquae contentionis. IOH. TILIUS comm. *de Reb. Gall.* BESOLD. *dissert. II. n. 10.*

§. LV.

§. LV. Transeamus iam ad *Feudalia*. Et quemadmodum Vasallus Domino ad fidelitatem & defensionem est obligatus, ita Dominus vicissim Vasallo suo tenetur, siquidem inter vtrumque mutua est obligatio, vt est text. *in c. i. §. Dominus de for. fidelit. Z AS. p.7. n.56.* & iudicatur vterque ad paria. **AFFLICT.** *c. i. n.13.* *de for. fidelit.* exceptus quibusdam casibus ap. **AFFLICT.** *Decis. Neapol. 265. n.2.* tenetur autem Vasallus & Iuramentum fidelitatis Domino praestare: Imo vsu in quibusdam Germaniae locis insuper receptum est, vt non contentus sit Dominus sola iuramenti praestatione, sed Vasallus literas Reuersales Domino edere teneatur, quibus fidem vltierius sub sigillo & manu sancte promittit, & haec Reuersales videntur ortum trahere ex pacto, vt Dominus feudi de Vasalli fidelitate securius reddatur. **WEHN.** *Obseru. pr. voce Reuers.*

§. LVI. In omni etiam inuestitura feudali de praxi hodierna confici solet instrumentum, vt illa eiusque tenor per illud probari possit, quod breue testatum appellatur. Atque hoc si inuestitus sibi datur, Dominus denegare non poterit, vt scribit **WESENBECK.** *de Fend. c. 8. n.15.* & **ROSENTH.** *de feud. c. 6. concl. 67.* Sicut autem Dominus ad hoc est obligatus, ita e contra Vasallus Domino Antapocham eiusdem argumenti (quae vulgo literas Reuersales, aut Reuersalia ein Lehen-Revers nuncupant) dare tenetur. Et sic quotidie vsu obseruari testatur **ROSENTH.** *c. 6. concl. 67.* **VULTEI.** *L. i. c.7. n. 42.* in quibus literis vasallus fatetur, quod sane rem in feudum a Titio accepterit siue recognoverit, eique propterea iuramentum praestiterit, solentque in his pacta Inuestituralrum paucis, retentis formalibus verbis repeti, ac plerumque etiam res feudales enumerari, quandoque si-

nes & mensura earum ac pertinentiae, vt vocant, vna
recenseri & describi, ad hunc effectum, vt si vasallus
quaedam negare velit, plene contra ipsum probent,
& sufficientem praebent fidem. Sic quotidie in pra-
etica seruari testatur SCHNEIDEW. Part. 5. de feud. n.
117. & ROSENTH. Conc. 8. incl. 33. n. 4.

§. LVII. Notandum etiam in Saxonia vbique
fere esse receptam *Simultaneam Inuestituram*, quae est
actus, quo Dominus consensu possessoris vasalli, ali-
quem, fidem ipsi promittentem, solenniter in vasal-
lum recipit, eiusque Ius in feudo cum alio commu-
ne, per quod in illud succedat, tribuit. Germ. die ge-
saminte Hand, It. die *Mitbelehnshafft*. Competit per
hoc Ius in feudo cum alio commune seu simultane-
um, ne igitur in praeiudicium simultanee inuestitorum
possessor quid alienet, sibimet inuicem dant Re-
uersales literas, possessor quidem, quod nihil in si-
multanea inuestitorum damnum suscipere, & inue-
stitus, quod in praeiudicium possessoris nihil atten-
tere, nec suum alio quam debito modo & tempore
exigere velit. STRVV. in S. I. Feud. cap. 9. apb. 14. seqq.
& passim ROSENTH. c. 6. conel. 69.

§. LVIII. Nihil etiam hodie praesertim in Feu-
dis Imperii Regalibus vsitatius, quam vt in casum
deficientis familiae *Exspectativa* cuidam concedatur,
Germ. Ein Anwartschaft, it. Ein GnadenLehn, quod
plerumque eiusmodi inuestiturae conditionales sole-
ant a Principibus impetrari, & ex gratia pro bene me-
ritis concedi. BESOLD. Tbes. pract. voce Geding. Quo-
niam autem certis sub conditionibus conceditur, fit
vt literas Exspectativas tradens sibi per Reuersum ca-
uere iubeat, quod acceptans destinatum tempus ex-
spectare, in praeiudicium possessoris nihil suscipere,
& gra-

& grata id interim mente agnoscere velit, add. ROSENTH. c. 6. concl. 6. n. 4. late H. PISTOR. p. 2. qu. 30. n. 6. GAIL. 2. Obseru. 150. n. 2. Quae concessio non est prohibita, nec inducit votum captandae mortis per dicta STRV. S. I. F. c. 7. apb. 5. n. 4. VVLTEI. L. I. c. 7. n. 48. H. PISTOR. p. 2. q. 25. IANVS AB ARCEDVRA Conclus. fenda. 5. c. 1. n. 6. seqq.

§. LIX. Notum etiam est ex *Iure sequelae*, quod Vasallus Dominum defendere non solum in, sed etiam extra territorium teneatur, maxime si Dominus feudi personaliter bello intersit. Nonnunquam vero Vasalli quidam eximuntur, acceptis Reuersalibus literis a Domino directo, quibus se postea defendere possunt. Hinc cum in conuentu Prouinciali Electoratus Saxon. de anno 1622. Vasalli quidam deducebant, se extra territorium Electorale seruitia praestare haud obstrictos esse, praetendentes Reuersales Elect. Saxon. sub datis Witteb. anno 1423. Hal. & Dresden. 1547. Lipi. 1553. per quas ipsis cautum, quod non teneantur extra territorium militare, replicabat Seren. Elect. Saxon. Iohann. Georg. Er stellte solches an seinen Ort, könnte sich aber der gesuchten Confirmation nicht erklären, weil die Acta, woraus solches zu erscheinen, erst müsten nachgeschlagen werden, als würde er nicht verdacht werden, wann sie dasjenige, was zu Erhaltung ihres Rechtes dienlich, in gebührende Obacht nehmen, und um so viel desto mehr, weil sich bey ihres Groß-Herrn Vaters Leben die Ritterschaft und Lehens-Leuthe zur Gothaischen Reichs-Expedition hat brauchen lassen, doch deswegen kein Revers produciret wird.

§. LX. Ius Delectus & Infraktionis Principibus competere tralatitium est, per tradita KNICHE N. de Iur. Territor. cap. 3. n. 352. BOCER. de Regal. c. 2. n. 14.

H 3

Quibus

Quibus vero equis Nobiles feuda tenentes compare debeat, constat partim ex literis Inuestiture & Reuersu a Vasallo dato, vel etiam ex Regestis lustratoriis Muster-Büchern, metatoriis, breuiculis Quar-tier-Zetteln, qui cum quandoque maiori numero, vel etiam alio modo sese sistant, petunt a Domino Reuersales literas, in quibus ipsis cauet, quod non ex debito, sed in honorem & singulare obsequium id fecerint, adeoque in posterum praeiudicio esse non possit. add. KNICHEN. loc. cit. STRAVCH. Exerc. Iur. publ. 9. th. 14.

§. LXI. Promissimus sub initio huius capituli hic annecctere quosdam casus, in quibus falso a Doctoribus literarum Reuersalium exactio conceditur. Quaestio igitur est elegans: *An si Euangelicus in loco Pontificio moriatur vel occidatur, non aliter defuncti cauauer deduci permittatur, nisi soluto pretio, & datis literis Reversalibus, sive a consanguineis defuncti, sive a Magistratu domiciliis?* Quam affirmat BESOLD. Theb. Pract. voce: Durchführung der Todten. Contrarium autem est verius, quia funeris deductio in se considerata actus iurisdictionalis non est, ex quo quis aliquam huius immunitationem aut detractionem metuere necessum habeat, neque etiam religionis disparitas hic aliquid facere potest, cum per Instrum. Pac. Osnab. art. 5. §. 12. utriusque religionis asseciae haec tenus pari iure gaudent, aequalique iustitia & protectione tuti, speciatim vero quoad Ius & honorem sepulturae, & ne quid ab iis exigatur IOH. SCHILTER in Prax. Iur. Rom. in foro German. Ex. 21. th. 31.

§. LXII. Ulterius in hac deductione vel transportatione mortuorum quaeritur: *An licentia Magistratus illius loci per quem defunctus portatur, opus sit, &*

an a

an a Magistratu literas Reuersales petere possit? Quod valde inter Dd. disceptatur. add. CASP. KLOCK. T. 1. Conf. 10. 477. qui licentiam necessariam statuit. Verum potius illis, qui nudam tantum denunciationem requirunt. BE SOLD. cit. loc. BRVNN. ad l. 3. ff. de sepulchr. violat. n. 3. subscribo per l. 3. §. 4 de ff. sepulch. violat. l. 8. ff. de Religios. maxime cum nemo impediendus sit vti via publica. Communis siquidem hominum inter se obligatio, qua quilibet cuiuslibet necessitates, quantum citra fraudem suam fieri potest, subleuare tenetur, omnes adstringit, vt quamdiu intra innoxiam vtilitatem vsus illius subsistit, is absque difficultate concedatur, deinde propter publicam vtilitatem sepultura magis est promouenda, quam impedienda.

l. 43. d.t. GARS. de Expensis c. 8. n. 18. & 25. PHIL. ALB. ORTH. de Iur. conducend. c. 4. fin. p. 164. Inde & hic Reuersalibus literis opus non est, nec de Iure Magistratus, eas postulare potest, quia nec actus iurisdictionalis est, vt est in casu maleficii, quando captinus deducitur, ubi tamen etiam requisitionem salui conductus & literarum Reuersalium urbanitatis esse diximus. add. cit. ORTH. c. 8. pag. 268. Sic Elector Saxon. in Resol. Grauam. Prou. tit. von Justiz Sachen. §. 44. solam denunciationem nec Reuersales requiri constituit. Quam denunciationem etiam exigit HAHN. ad WESENB. tit. de Religios. n. 5. Zur Durchföhrung einer Braut.

§. LXIII. Occupati eramus haecenus, in explicando Reuersalium vsu circa Statum publicum, restat vt paucis etiam circa priuatum dèducamus, cum latiorem eius deductionem pagellarum angustia haud permittat. In hereditatibus igitur diuidendis maximae saepe oriuntur controuersiae, penes quem Instrumen-

strumenta hereditaria deponenda v.g. feudalia, priuilegia, obligationes, & decisum est in l. 4. §. fin. l. 5. ff. famil. eriscund. quod manere debeant penes illum, qui maiori ex parte heres est, & caeteris copiae descriptae & recognitae dentur, addito reuersu ab illo qui retinet, se originalia ipsa, quoties opus fuerit, coheredibus restituturum. Quod si nemo ex maiori parte heres sit, tunc regulariter Senior iuniori, dignior inferiori & mas foeminae praefertur. l. fin. ff. de fid. Instrum. Imo sorti haec res committenda, vel in loco publico deponenda. MEV. p. 5. D. 331. v. g. Es verspricht hiemit der älteste Bruder, bey Verpfändung seiner Güther, daß so oft die andern dieser Documenten benötiget seyn, er ihnen dieselbe so fort, jedoch gleichfalls vermittelst ausgestellten Reuersal-Brief, daß er finito vsu solche Instrumenta wieder einliefern, ausantworten wollte.

§. LXIV. Deinde in transactionibus criminum, quae iure permittente fiunt ex famosissima, l. 18. C. de transact. de qua vid. DECIAN. tr. Crim. L. 3. c. 34. n. 12. seqq. quandoque interueniunt literae Reuersales, in quibus dans, qui accusator fuit fateri cogitur, se postea nullo modo contra eum acturum, nec etiam facturum, vt alii de eodem crimine certiorentur, in summa vt transactio ipsi nullo modo praeiudicio sit. conf. STRYK. Cautel. Sect. 3. c. 7. §. 8.

§. LXV. Saepissime quoque in Republica contingere solet, vt negotiis suis attenti satis, nec quam facile, quo conditionem suam meliorem reddere valerent, secure negligentes, ciues fortunae inclemens id experiri coguntur infortunii, vt ad extreham redigantur inopiam. Non minus igitur aequitatis ratio, quam ciuilis beatitudinis conseruatio exigit,

exigit, vt literis Quinquennalibus ipsis succurratur, per tradita M E V. discuss. de Lenam. inop. debit. c. 4 discuss. 8. num. 1. Germ. Quinquennell oder Anstands-Briefe. Ita tamen, vt literas Reuersales dent illi debitores, in quibus sincere promittant, quod ex necessitate ad has inducias compulsi sint, immane quantum labratores, vt omni penitus vinculo, quo suis obstricti creditoribus, meliore fortuna vtentes se eximere vellint, absonderlich weil er von aussenstehenden Schulden, welche mit Handschrift und seinem Register beweislich so viel noch zu gewarnt, wovon er seine Creditoren hinkünftig redlich befriedigen könne &c.

§. LXVI. Licitum porro est litigantibus causam ordinariam executive vel summarie tractare, hinc pacto ad hoc se obligare possunt, quod etsi a multis negetur, qui solennitates iudiciorum volunt esse irrenunciabiles. arg. l. 38. ff. de pacts. Recte tamen hoc defendit BRVNN. Proc. Cuu. c. 1. n. 18. Interest siquidem Reipublicae lites leuato componere velo, quam longo annorum spatio iudicia inquietare. Formulam reperimus apud STRYK. Cant. Sect. I. c. 5. §. 20. vbi quis solenni Reuersu renunciauit ordinario Processui his verbis: Solte auch künftigen mein Gläubiger dieses angelegten Postens halber zu klagen verursächet werden; So will ich durch gegenwärtigen Revers dem Processui ordinario renunciren, und hingegen ad paratissimam executionem cum clausula quarentigii mich obligiren, &c.

§. LXVII. Nonnunquam etiam res pretiosa pignori datur creditori, cum autem saepius multum intersit ne illa res in aliorum manus perueniat, certi tamen juris sit creditorem infcio debitore pignus iterum tertio cuidam pignori dari posse per tut. Cod. se

pign. pignor. detur. Vtile est, vt debitor, mediante Reuersu, sibi prospiciat, ne creditor inscio & inuito debitore oppignoret, sic ipsi omnis vltior clancularia oppignoratio erit adempta. Alia adhuc remedia vid. apud MEV. 5. D. 343. n. 9.

§. LXVIII. Maximus literarum Reuersalium usus sece exerit in *Precario*, in quo is, qui precario rem concedit, non contentus esse debet, si alter precibus usum rei expertat, praesertim si rem immobilem concernat, vel Ius quoddam in alieno. Necessum est itaque, vt exprimas clare, te precario usum Iuris alteri concedere velle, quo ita de concedentis apparet animo, & e contra petens, mediantibus Reuersalibus literis, declarare debeat, se non alio quam precarii titulo petiisse & accepisse. Quae cautio ratione revocationis maxime id operatur, ne alter, sin absque omni cautione eius petitio annuas, hoc titulo servitutem quandam acquirere inde possit. vid. STRYK de *Cautel. Sect. 2. c. 2. §. 6.*

§. LXIX. Denique vltimo loco notandum, literas Reuersales quam maxime etiam interuenire posse, in emtione venditione, cui plerumque pactum de retrouendendo adiicitur. Certum autem est, verum dominium per primam venditionem tunc transferri, arg. 1. 4. C. de *pact. inter emt. & vend.* MYNSING. 6. obf. 70. ideo ex Iure dominii res interim obligari potest, GAIL. 2. obseru. 16. KLOCK. T. 2. Conf. 42. n. 181. Ne ergo oppignoretur interea, initio venditionis literas Reuersales a venditore petere potest emtor, in quibus declaret se praedium nullo modo in aliud esse translaturum, cui promissioni postea est standum.

CAPVT.

CAPVT IV.
DE
FORMA LITERARVM
REVERSALIVM.

S V M M A R I A.

- I. Literae Reuersales scribantur in charta munda & integra.
- II. Exprimatur Nomen proprium.
- III. Subsignentur.
- IV. Omnia in iis contenta ex parte cohaereant.
- V. Cautus sit Princeps, ne subditis maiora promittat, quam quae seruare possit.
- VI. Non probant de iis, quarum expresse non facta est mentio.
- VII. Reuersales literae Vafallorum, quas dominis dant, quidnam circa renouationem Inuestiture operentur.
- VIII. Controversiae feudales ex literis primae inuestiturae sunt decidendae.

§. I.

Post literarum Reuersalium obiectum, ipsa sese nobis Forma exhibit inspicienda. Quae etsi latius tractari possit, attamen ne verbosa fiat Disputatio mea, paucis me expediam. In illa autem ante omnia considerandus ordo Scripturae, an scilicet omnia requisita habeat veri Reuersus, id enim ad probationem maxime iunat. **MENOCH.** *de A. I. Q. cas. 94.*
n. 2. Principaliora requisita ergo sunt, ut in charta munda & integra conscribantur, quae si est maculata, rasa aut lacera, nihil probant. **MYNS.** *Cent. 1. Obj. 80. in addit.*
 vel si forte rasa aut cancellata sit, consueta addenda est cautela ap. **EVERHARD.** *de fid. Instrum. c. 3. n. 48.* **IOH.**
PETR. DE FERRAR. *in pract. tit. 15. gloss. 3. n. 3.* Post scripta autem in hisce literis sunt vitanda, nisi aequa a conscribente subscribente subscribantur. **FARINAC.**
quaest. 153. n. 4. Q. 5. deinde Reuersus inscriptio requiritur

ritur secundum MENOCH. loc. cit. In primis scribentis nomen & cognomen hae scripturae habeant, quid enim probare vel iuuare poterit Scriptura sine nomine, cum semper obstet exceptio: Non est nominatus in instrumento, & sine his literis nunquam creditur. BERTACH. Repertor. verb. Epistol. n. 3. add. MASCARD. de probat. concl. 626. num. 40, vbi dicit: si literae non habent nomen scribentis, etiam si eius Sigillo essent signatae, nihil tamen eas probare. CARPZOV. L. 3. Resp. 81. n. 22. & 25.

§. II. Addenda porro in subscriptione expressio Numeris proprii conf. STRYCK. *Dissert. de Nomine proprio*, quae plenum robur illis tribuit, adeo ut subscribens perinde habeatur, ac si totas literas conscripsisset. CARPZOV. p. 2. const. 20. def. 9. num. 9. RVLAND. de Commissar. L. 5. c. 34. num. 8. praesumitur enim probare omnia Instrumenti contenta. H. PISTOR. p. 2. qu. 49. num. 24. MENOCH. d. l. num. 24. quod procedit etiam si scriptura ab alio confecta. MENOCH. L. 1. praesumt 66. n. 7. Illa etiam plenam contra scribentem fidem facit. l. 9. §. 3. ff. de Iur. Dot. DECIAN. V. 2. Resp. 108. n. 62. Inducit etiam consensum & obligationem. l. 8. §. 15. ff. quib. mod. pign. vel hyp. solv. CARPZ. p. l. c. 17. d. 17. num. 4. CRAVETTA. Consil 25. num 13. Haec omnia procedunt, si subscriptione non fuerit restricta, potest enim restringi consensus, ad certum negotium. CARPZOV. L. 5. Resp. 3. num. 8. De phrasim manu propria; an addenda? quae extat pr. Inst. de emt. vendu. dubium est, abundans fere cautela est, cum praesumtio sit illius esse manum, cuius & nomen subscriptum; a recepta tamen praxi non facile recedendum esse iudico. confer Dissertat. LINCKII de Manu propria.

§. III. Ad formam externam porro spectat Subscription;

signatio; nam certum est, literas non mereri autoritatem, nisi sigillum iis appendatur. VFFREN BACH. de *Iudic. Aul.* pag. 251. EVERHARD. de *fid. Instrum.* c. 12. n. 16. THEODOR. HOEPING. de *Iur. Sigill.* c. II. §. 3. num. 224. Inducunt enim talia sigilla intentiorem scribentis voluntatem. COVARVV. T. 2. pr. quaeſt. 22. n. 9. Imo si subscriptione desituantur literae, & certo de apposito sigillo constet, subscriptionis vim habet. FELIN. in *c. supr. n. 17. seqq. de fid. Instrum.* HOEPINK. de *c. n.* §. 4. n. 294. add. MASCARD. *Concl.* 626. n. 4. Locus & tempus etiam hasce literas faciunt perfectiores, circumstantia enim loci & temporis certitudinem parit, alias ambiguæ erunt. BOERIVS *Decis.* 37. num. 27. Plura, quae obseruanda, requisita vid. apud Dd. citat.

§. IV. Quoad internam formam, quam pro ingenii tenuitate supra iam latius deduximus, notandum in genere, *ut omnia in iis contenta exakte cohaereant;* fieri etiam solet, *ut nonnunquam tenor alius Instrumenti in iis repetatur,* quemadmodum in Reuersalibus Ministrorum, quas Domino dant, videmus, *ut tota Epistola, vulgo der Bestallungs-Brief in iis repetatur.* Imo alia nonnunquam iis immisceatur, quae quam maxime in diuersis causarum figuris supra iam demonstrauimus. Cautelas porro varias hic adducere possemus, tam circa personas, quam circa res. Ast quoniam illae etiam in aliis negotiis obueniunt, & quam maxime a Dd. iam notatae, in primis STRYK. de *Caut. Sect. I. c. 2. 3. 4.* actum agere nolui, speciales saltem quasdam circa has literas adhuc notaturus.

§. V. Demonstrauiimus saepius fieri solere, *ut Prouincialibus literas Reuersales dent, in quibus de variis negotiis cauent.* Omnino autem requiritur, *ut Princeps hic cautus sit, ne forte maiora subditis*

promittat, quam postea seruare possit, vel Reipublicae expediat. Praesertim, quod nimiae veterum Principum facilitates non raro maximis rebellionibus causam dederint, historia nos instruit. Hinc Italus ille magnus, subditorum praerogatiwas semen zianiorum ac lapidem scandali nuncupat. Quin tamen hodie, hisce fere opus non sit, experientia nos docet, cum Principes in dandis Reuersalibus non adeo faciles reperiantur, quam cupidi in annullandis.

§. VI. Singulari etiam attentione perlegendae sunt Reuersales literae, si de earum tenore iudicium fieri debet, non enim probant de iis, quorum expressio mentio non est facta. Sic memini me legisle disputatum, de literis Reuersalibus iuratis, quas reus Magistratui dedit, in quibus promisit, quod non velit vindicare carcerem, & quae situm esse, an crita relaxationem iuramenti via iuris contra iudicem experiri possit? Et responsum, quod sic add. Ord. Carol. Crim. art. 20. §. Es soll auch keine Obrigkeit ic. GAIL. 1. obf. 22. n. 5. FELIN. in c. 1. n. 25. f. X. de Iuretur. Nec enim tum via iuris relaxato praeclusa est; & promissio intelligitur de vindicta priuata, non quae iure permittente fit. SCHVRFF. Cent. 3. Corp. 87. NATTE Conf. 42. n. 3.

§. VII. Quatenus etiam Reuersales literae vassallorum, quas Dominis dant, & in quibus fatentur, quod hanc rem, a Titio Domino, in feudum habeant, & quae alia, confificantur, supra ostendimus latius; videamus quid circa renouationem illarum locum habeat. Et quemadmodum; quoties Dominus vel vasallus mutatur, renouatio inuestiture est petenda, quae proprie non est noua, sed veteris saltem confirmatio. Ita etiam semper literarum Reuersalium reno-

renouatio fieri solet, cum vbi eadem est ratio, eadem etiam esse debeat iuris dispositio. Ratio autem huius renouationis est, ut scilicet mutato quidem vasallo appareat, quod etiam hic vasallus qui succedit, a Domino rem in feudum, & tanquam beneficium recognoscatur; mutato vero Domino appareat, quod etiam Dominus, qui succedit, a vasallo agnoscatur, atque ut reuerentia debita initio delati feudi, a Successore vasallo exhibeatur Domino. ROSENTH. de feud. c. 6. concl.

29. STRVV. S. I. F. c. 10. apb. 1. n. 2.

§. VIII. Diximus, mentem literarum Reuersalium, oborta controuersia inprimis inspiciendam esse; Et si enim illae verbis perspicuis, imo negotio etiam conuenientibus sint conjectae, tamen oriri potest facillime dubium, quod vel decidendum est ex tenore primarum literarum, si quaedam iam adsunt, quoniam illae, basis ac fundamentum reliquarum censentur, ad quas recurrendum est, vbi posteriores obscuritatis quid in se continent, quod de Inuestitura dicit BARTOL. quem laudat BESOLD. 1. Conf. 3. c. 4. tit. 4. n. 18. add. Conf. Tübinger anno 1628. quod inferuit Theb. præst. sub verb. Lehren. Add. CARPZ. p. 2. c. 45. d. 31. in fin. Prima autem si deficiunt, sequentes sunt adhibendae, his vero etiam non praesentibus, facienda est interpretatio ex communi obseruantia, pro negotii, super qua conjectae qualitate, loci in primis vbi conjectae. ME NOCH. v. 1. Conf. 104. n. 22. & Conf. 400. n. 21. V. 4. Sin autem nec de hac vere constet, tum verba dubia, vt in aliis scriptionibus interpretanda sunt contra scribentem, quippe qui apertius scribere potuisset. add. MENOCH. L. 3. præsumt. 92. & Conf. 148. n. 38. V. 2.

CAPVT.

CAPVT V.
DE
EFFECTV LITERARVM
REVERSALIVM.

S V M M A R I A.

- I. Literarum Reuersalium Effectus consistit praecipue in rei probatione.
- II. Quidnam eiusmodi literae apud alios extantes repertae, probent.
- III. Queritur, an Princeps Reuersalibus suis subditis datis obligetur?
- IV. An Princeps Successor literas Reuersales ab Antecessoribus datas, eiusque promissiones adimplere teneatur.
- V. Obiectio. Responsio.
- VI. Quando Princeps, pro confuetudine, in solennibus inaugurationibus vel natalitiis suis, criminum indulgentiam alicui Status Ministro concessit, datis Reuersalibus, de omnimo- da libertate, postmodum autem poenitentia ductus, successori suo per testamentum, vel etiam viua voce moribundus de iure in mandatis dare possit, vt post eius mortem dictum reum ad supplicium ducat, an successor illud adimplere cogatur?
- VII. Literae Reuersales sunt quasi protestationes.
- VIII. Literae Reuersales non minus feudum probant, quam Inuestitura.
- IX. Q. An controuerentes inuicem, sibi has literas edere teneantur?
- X. Si forte contingat, vt literas hasce accipiens eas perdat, potest renouatio earum peti.

§. I.

Absoluta, forma & modo confiendi, hasce literas Reuersales, non incongruum erit, in harum Autoritatem & Effectus insigniores, quas producunt, inquirere. Consistit autem praecipua earum autoritas ac effectus in rei, de qua factae sunt, probatione. *I. 15. C. de feud. Instrum.* Quod enim per eas probatur, tanquam per instrumentum, praefumitur esse verum. *I. 14. f. C. de contrab. stipulat.* *C. I. A. pr.*
§. 16.

§. 16. de fid. Instrum. Et ideo adhibetur Scriptura, quae perpetuo loqui videtur. RITTERSHV s. ad Nou. p. II. c. 24. §. 2. Quando autem illae contra ipsum scribentem producuntur, tunc illis ut aliis literis plena fides habetur. I. Publ. 26. ff. de depositi c. 2. X. de testibus & ibi Dd.

§. II. Quod si quis literas Reuersales a se quidem scriptas, apud alios tamen extantes producere velit, quas tamen alter agnoscere nolit, tunc regulariter nihil probant. I. exemplo C. de probat. Indagabit tamen, an ipse forte literas vel aliud documentum producere possit, in quo alter se acceptasse confiteatur, tunc probant. I. 6. & ibi Dd. ff. de SCroMacedon. egregie DAN. MOLLER. I. 4. Semesfr. c. 44. num. 2. MENOCH. 3. Praesumt. 65. vel etiam hae literae iam altera parte iudiciliter allegatae fuerint, plurimum siquidem momenti hoc habere potest, de quibus vid. RVLAND. de Commissar. L. 5. c. 14. §. 8. & 13. segg.

§. III. Notabilis nunc circa effectum harum literarum sece examinanda fistit quaestio, An sc. Princeps Reuersalibus suis subditis datis, obligetur? Quam multi forte negabunt Machiavelli in primis asseclae, qui vtile clamitant, & honestum spernunt, omnia secundum rationem Status falsam metiendo. Verum enim vero, optimie & prudentissime tradit Ioh. Baptista Hisp. Scriptor doctissimus: Nunquam ego consularem Principi, ut a fide data, vel contracta, aliqualiter deflectat, quia cum nullum sit pretiosius Principis pigminus, quam eius verbum & fides, quae non obseruando, vilescit, ut nullus ex subditis de Principe confidat. Et alius Italus nomine TVB. ALBERGAT. dell. Rep. Reg. L. 2. c. 22. Che la perfidia ed impieta, anche nelle stato Tirannico non sia convenevole, e che anche nelle Repubbliche cattive, sia necessaria L' honesta. Et sane ad eas

K ser-

seruandas Princeps fortissimo iure tenetur. arg. c. 1. vbi
Dd. X. de probat. ZAS. in l. 2. §. eodem temp. 10. ff. de Orig.
Iur. ac Conf. 10. n. 5. BORCHOLT. Conf. 7. in pr. Nec illi,
 a contractu, cum subdito celebrato, ne quidem de plenitidine potestatis, resilire licebit. MYNSING. Resp.
24. n. 19. GAIL. 2. obseru. 55. n. 5. & 6. Confil. Argent. V. 2.
Conf. 47. n. 22. & CAROL. SCRIBANIVS in Polit. Christian.
L. 2. c. 15. fol. 595. scribit: Quod Superioris in Subditum verba purpurata mendacia esse non debeant.
 Add. STRVV. S. I. C. Ex. 2. tb. 10. in fin.

§. IV. Altera, non minus difficilis quaestio est,
 an Princeps successor, literas Reversales ab Antecessoribus datas ratas babere, eiusque promissiones adimplere teneatur? Quod multi negant. Verum, cum nec argumentationesque quas pro sententiae suae robore illi adducunt, adeo firmis nitantur tibiis, si ad acrioris iudicij lancem expendantur, ideo affirmatiuam amplector sententiam, ex eo, ne fides publica labefactetur. Quod si enim cupiat Princeps, mandata & promissiones suas, a Successoribus obseruari, conueniens est, ut Praedecessorum literis & conuentionibus venerationem & obseruantiam praestet ipse. Hoc non obseruans, causam dissoluendi Successoribus praebet, etiam ea, quae olim a se gesta fuerunt; In eodem enim statu, quo accepit, eas relinquere debet. HERM. HERMES Fasic. Iur. pub. c. 40. BALD. Conf. 326. V. 1. ROLAND. a VALLE Confil. 100. n. 139. V. 4. TIBER. DECIAN. V. 1. Conf. 25. n. 24. BARO ENENCKEL. de Privil. L. 3. c. 10. n. 25. § 36. CRAVETTA Conf. 404. per tot. Cui accedit, quod in contractibus Princeps iure priuatorum vtatur, iam vero notissimum, Successorem priuatorum non posse contrauenire promissionibus Antecessoris. Imo si princeps pro lubitu Praedecessorum pro-

promissiones labefactare posset, quis, quaeso, reperi-
tur, qui cum Principe amplius contraheret. STRVV.
S. I. F. c. 14. apb. 29. c. 5. Neque hic quidquam con-
ferre potest plenitudo potestatis, quam habet;
qua enim, si in contrariam mentem abuti velit, tem-
pestatem, non potestatem exercere diceretur. CRA-
VETTA Conf. 135. n. 5. Obiciunt Aulico-Politici, quod
Maiestas principis inde diminuatur, sed profecto talis
voluntaria submissio, opinioni & existimationi Prin-
cipis nihil quicquam derogat, sed illa potius augetur,
cum de Principe quem diligit, semper optime sentiat
populus, diligit autem plerumque eum, quem iisdem
secum Legibus viuere, quemque exemplo magis ad
imitandum & lenitate, quam imperio & coactione,
sibi praeceps videt. vid. ZIEGL. tr. de Iur. Maiest. p. 10.
Sic occurront, quae Principis potestatem arctiore
faciunt, non tamen simul minorem.

§. V. Opponunt etiam, quod Princeps legibus
sit solutus. l. 31. ff. de LL. quibus respondeo, quod et si
sit, gaudet tamen legibus viuere, & intelligenda est
regula de vi legum coactiva non vera directiva ita ut
secundum illam, Principem solutum dicam, non ve-
ro secundum hanc. Id. ZIEGL. l. cit. p. 18. Princeps
enim non poterit id sine violatione legis naturae,
quod toti communitati aequum & iustum esse iudi-
cauerit, intermittere aut negligere. Quapropter
ANTON. MERENDA, Principes obseruare leges, non
quia leges sunt, sed quia ars ciuilis & prudentia dicti-
tent, secundum Leges huiusmodi agi debere. STRVV.
S. I. C. tit. de LL. tb. 8. Quando autem Principem vi le-
gis directiva, non esse solutum diximus, id ad res in-
diferentes, quae solemnitates aliquas in actionibus ci-
vium obseruandis concernunt, non est trahendum,

his enim Ipse legislator non obligatur add. l. 1. §. fin. ff. de Offic. Proconf. Caef. l. 26. ff. de donat. int. vir. & uxor. l. 56. de legatis, l. 34. C. de donat. ZIEGL. dict. tr. libr. i. c. i. §. 38. Quod si tamen promissio talis in praeiudicium vergeret certissimum Reipublicae, limitanda erit nostra assertio, illibata enim stare debet salus publica, quia maior habenda est ratio totius Reipublicae, quam quorundam priuatorum.

§. VI. Non dissimilis est & illa quaestio: *Quando Princeps pro consuetudine, in solennibus inaugurationibus vel natalitiis suis, criminum indulgentiam aliqui Status Ministro concesserit, datis Reuersalibus de omnimoda libertate, postmodum autem poenitentia ductus Successori suo per testamentum, vel etiam via voce moribundus, de iure in mandatis dare possit, ve post eius mortem dictum reum ad supplicium ducat, an Successor illud adimplere cogatur?* Sane negativa aequissimo nititur fundamento. Princeps enim suam gratiam largiendo reo criminis impunitatem dedit; iam autem aggratiatus a Principe aequiparatur absoluto per sententiam, arg. l. 30. C. de sent. pass. & restit. BALD. Lib. 4. Cons. 204. Nec Successor mandatum commissum de Iure adimplere potest, quoniam ea, quae legitimis mediis sopia & finita sunt, ac ex quo pacti iam Ius quaeſtitum est, ne Imperiali rescripto quidem resuscitari oportet, arg. l. 16. C. de Transact. PET. PAVL. PARIS. Lib. 4. Cons. i. n. 61. GRAMMAT. Dec. 205. n. 19. Nec locum habet poenitentia, vbi quis Ius suum remisit. per l. 41. ff. de Minor. D. HENR. BALTH. RHO TH. Dissert. de Poenitent. c. 7. reg. 5. & 6.

§. VII. Quemadmodum etiam alias protestatio interueniens actui, conseruare Ius protestantis solet. per l. 4. §. 1. ff. quib. mod. pign. vel hyp. sol. l. 14. §. 8. ff. de Relig. & sumt. fun. CARPZ. p. 2. c. 28. d. 10. Ita etiam literae

terae Reuersales sunt quasi protestationes sive cautions, ne gratioſa concessio poſtea tranſeat in debitum, vel alio modo illa vtatur, quemadmodum factum eſſe legimus alicubi, cum venatio precaria ſit confeſſa, ſub literis Reuersalibus, gratioſus ille ve-nator, intra terminos Iuris haud ſubſtitit, ſed ſyluam ſucciſis ligniſ cingere, & baſnum in ea feriūm conſtituere voluit, cum tamen haec duo Jagen und Ha-gen valde ſint diuerſa adeoque non confundenda. KNIPSCHILD. de Cuit. Imperial. L. 2. c. 7. n. 55. add. NOE MEVFER tr. vom Jagt- und Forſt-Recht. tit. ob der zu jagen auch zu hagen habe.

§. VIII. Commemoravimus quoque a parte vasalli, ſaepius interuenire literas Reuersales, quae ſi recte confeſſatae, non eſt dubitandum, quin feudum probent, non ſecus ac Inuestitura, de qua hoc iſpum teſtatur Colleg. Bononiense in cauſa Finariensi n. 23. MODEST. PISTOR. V. 2. Conf. 37. n. 39. Et tam de iſtrumento Inuestiturae, quam Reuersalibus loquens ROSENTH. c. 6. de feud. concl. 67. n. 1. 2. KLOCK. Conf. 7. §. 140. & 141. Ut cunque enim ſigillum & ſcriptum priuatum foret, tamen cum contra ſigillantes & ſcri-bentes horumque heredes producatur, quin plenam fidem faciat, non minus quam ſi publica forent, haē-ſitandum non eſt, t. publica 26. S. fin. ff. Depositi. FLAM. de RVBEIS 15. Conf. 67. n. 48. qui ex Iaſone neminem de eo vnuquam dubitaffe ait. Hae autem literae ni-hil probant de rebus, in iis non comprehenſis, ſtri-ete enim illae ſunt interpretandae. WESEN. Conf. 60. n. 11. conf. ROSENTH. c. 12. conclus. 15. n. 54. fin. CARPZ. p. 2. c. 40. d. 30.

§. IX. Inſignis quoque harum literarum effe-tus eſt, quando, ut conſuetudine fere totius Germa-niae

niae receptum, illae ad acta publica deponuntur, ita vt casu postea controuerso eueniente, quid antea obseruatum fuerit, vel etiam quid actum sit, probari queat. Exempla vid. ap. CARPZO V. p. 3. c. 28. d. 10. Q. an iniuitem sibi has literas edere teneantur? Quod affirmandum, praesertim, si contra tertiam quis vti, vel vt iura rei scire ac tueri possit. per L. 48. & quae ibi Dd. ff. de act. emti. praesertim vero id facere tenetur vasallus Domino, & Dominus vasallo, si eius intersit. ROSENTH. c. 8. contl. 33. quod si editionem detrectet, iuramento, quod eas non habeat, nec dolo habere desierit, se se purgare debet. Idque hac ratione, quod huiusmodi instrumenta vtriusque gratia facta, rem quasi communem concernant. BORCHOLT. de feud. c. 8. n. 133. & 117. COLER. Proceff. Exec. p. 1. c. 9. n. 69. Dubia resolut R. ROSENTH. c. 8. concl. 33. n. 7. seqq.

§. X. Quod si forte contingat, vt literas hasce accipiens eas perdat, potest renouationem earum petere, vel etiam confirmationem, quae nihil noui dare potest. MATTH. COLER. V. 1. Cons. 30. n. 170. Si vero renouationem earum non petat, per longum tempus, vel quod sit impeditus, vel quod crediderit semel datas sufficere, vigorem suum nihil - minus retinent, nec possunt a Successore reiici, ac si essent antiqua instrumenta, cum potius illa magis probent, vtpote quae semper loqui & clamare dicuntur. add. MYLER. ab EHRENE. c. 8. §. 10. seqq.

CAPVT VI. ET VLTIMVM. DE CONTRARIIS LITERARVM REVERSALIVM.

S V M M A R I A.

- | | |
|---|---|
| I. Opponuntur literis Reuersalibus
quaedam, vel ratione veritatis. | II. Vel ratione solennitatis. |
| | III. Infirmitat literas nimiae abbreviaturae. |
| | IV. Re- |

IV. Renocantur tempore elapsos.
V. Mutuo dissensu dissoluuntur

pacta literis Reuersalibus conuenientia. Conclusio.

§. I.

Q Vandoquidem poene adhuc naufraga nauis altum tenemus, procul tamen abhinc laetabundi iam portum contemplamur; ostendimus literarum Reuersalium varias autoritates atque effectus, sequitur antequam dilaceratis velis eum subeamus, ut earum contraria, tribus tamen, ut loquuntur, verbis inspiciamus. Quod si enim contrarium, iuxta se positorum, maiore est evidenter, operae pretium utique erit de iis agere. Opponuntur autem illis quae-dam, vel ratione veritatis, vel ratione solennitatis. *Veritatis*, v. g. si illae falsae arguantur, quod singula non retulerit, inquit quod captiose sint conceptae, vel quod caput rerum tradendarum omissum, & omnia confusim in iis continentur. ad ME v. p. 1. Decif. 120. n. 3. & 4.

L1951
§. II. Ratione solennitatis, si dicatur aliquid ex so-lennibus esse omissum, v. g. nomen dantis, it. subscrip-tio, quae fidem literarum maxime dubiam reddunt, ut supra in delineanda forma demonstrauimus, praesertim vero iis repugnat Rasura vel Cancellatio, si forte contingat circa annum, diem vel tempus con-cessionis, & reliqua literarum substantia conf. ME NOCH. 5. Praef. 20. n. 10. Quod si tamen forte aliquid radendum erit, cautela est, ad seruandam Reuersalium fidem, ut in subscriptione eius mentio fiat.

§. III. Infirmant quoque literarum harum pro-bationem nimiae abbreviatura & ciphrae, praesertim in illis locis ubi de quantitate concessionis, siue quo-ous-que durare debeat, mentio fit. Maxime vero etiam suspicionem gignit, quando in additionibus harum literarum diuersum atramentum reperitur, haec enim calami

calami mutatio aufert Scripturæ paritatem. *Nou. 73. prooe. BORNIT. de Inſtrum. p. 2. Lib. 2. c. 25. add. ME NOCH. de A. I. Q. Lib. 2. cas. 183. n. 67.*

§. IV. Haec de contrariis literarum secundum formam externam; nunc paucissimis notanda ipsa earum reuocatio, vel, quod tempus destinatum sit praeterlapsum, Dominusque ipse re sua egeat, tunc enim redduntur literae, vel, vt quamplurimum fieri solet, dilacerantur vel, quod causa illa, super qua confeſſae, cefſet. v. g. si quis dediſſet ratione precariae venationis a Principe ſibi ſoli confeſſae literas Reuersales, eo mortuo cefſat ratio literarum, E. non poſſunt non cefſare etiam literae ipſae, quia cefſante cauſa, venatione, cefſat effectus.

§. V. Poteſt etiam eueniſire cauſus, vt inter partes contraſtent oriatur rixa, vt ita de ſublatione literarum conueniant, quin enim mutuo conſenſu paſta diſſoluere valeant, nullum eſt dubium. Plura perſequi ipſe modus Diſputationis prohibet. Et ſic tandem poſitis remis, contractis velis, portum intrauiimus, tenuemque hanc de luce literarum Reuersalium, pro ingenii tenuitate, elaborationem exhibuimus, ita tamen, vt non deduxerimus, quae forte ex materiae grauitate adhuc deducenda fuerint, excreſcente iam ſub manibus labore. Quoniam autem in nullo penitus errare, diuinitatis magis fit, quam humanitatis, iuxta Imperatorem *de confirm. ff. §. 14.* &c homines nos eſſe, ideoque humani a nobis nihil alienum, iam ſua actate Chremes apud TERENT. perſpexerit, facile patimur, vt qui libet hiſce noſtriſ, qui occurrent erroribus: *allinat atrum, transverſo calamo ſignum.* HORAT. *art. poet.* Quomodo enim in hac mundi faece ipſi ſine fece eſſe poſſumus, tam profunde immersi? quae tamdiu adhaerebit, donec defuncti laboribus AETERNITATIS CANDIDATI caeleſtem bonae ſpeи portum ſubbeamus.

Interim Perfecto & Triuni DEO ſit Laus, Honor
& Gloria in Seculorum Secula.



ULB Halle
005 132 428


3



W/17
W/18




Farbkarte #13



B.I.G.

22
I MÜLLERI, ICTI,
N. PANDECTARVM PROF. PVBL. ORD.
INCIALIS, FACVLT. IVRID. ET SCA-
SSESSORIS IN ACADEMIA IENENSI,

LIBELLVS
DE
TERIS
ERSALIBVS
VULGO:
Reversen.



IENAE,
NSIS IO. CHRIST. CROEKERI,
1741.